VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 B
23/1

EE
LI
8

12
16
5
18

Digitized by Google

Digitized by Google

HERCULES
VERE COGNITUS, CERTUS EXUL,
id eſt
EPILEPSIÆ
VERA DIGNOTIO,
ac ejuſdem
CERTA CURATIO,
Libris duobus comprehenſa,
Studiô & operâ
GEORGII KOVACS TATAI
N. M. K. Nobil. Ungari.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Domg S. Pantaleon Scholar. Piarum



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officina ARNOLDI DOUDE 1670. 15

Ex [illegible] Frat de [illegible]

Fernelius in præfatione lib. 4. Method. Med.

Nullus profectò toto genere immedicabilis exiſtit affectus: nullus in nobis poteſt ſubſiſtere, cui non pariter contrarium remedium natura protulerit: nulla uſque eſt remediorum penuria; ſed noſtrâ eorum turpis ignoratio.

Illuſtriſſimo ac Spectabili Domino

D. PETRO CSAKI

Inclyti Comitatûs Komaromienſis Supremo Comiti, & Arcis TATÆ Domino hæreditario, ac Sacræ, Regiæque Majeſtatis præſidii, in eadem Arce Supremo Capitaneo.

Ut &

Generoſo, Nobili, ac Strenuo Domino

ANDREÆ DRAHOSOCSKI,

Arcis prætitulatæ, præſidiique ejuſdem Sacratiſſimæ Majeſtatis Vice-Capitaneo fideliſſimo.

Nec non

Nobiliſſimis, Generoſiſſimis ac Circumſpectis Viris

D. JOHANNI SZEGI,

præfati Comitatûs Vice-Comiti

D. FRANCISCO TALI,

D. EMERICO CSONTOS,

D. GEORGIO CSAPO,

D. JOHANNI KENYERES,

Ejuſdem Comitatûs Judicibus æquiſſimis

D. JOHANNI KOVACS TATAI,

Parenti meo filiali amore obſervando, & æternâ reverentiâ colendo.

D. BLASIO CSIK,

D. FRANCISCO BALASSA,

D. IOHANNI PECSI,

Ejuſdem Comitatûs Iuratis Aſſeſſoribus.

D. IACOBO TORKOS,

Ejuſdem Comitatûs Iurato Notario.

Ac

Ac reliquis omnibus & ſingulis, ingenuis ejuſdem Comitatûs Commembris.

Dominis ac Fautoribus Maximis

S. P.

ILLUSTRISSIME

DOMINE,

GENEROSI, NOBILISSIMI,

AC

CIRCUMSPECTI

VIRI,

FAUTORES MAXIMI.

NOn minùs pervetuſt, aquàm pervulgata inter Muſicolas obtinet conſuetudo, ut ſi quos cum ratione, & Judicio prudenti adhibi-

to labores edant, eos publicâ aliquâ inſcriptione, aut dedicatione, Magnis cumprimis Viris ſuſcipiendos & adoptandos tradant; quò ſic & operi ipſi ſplendor concilietur: & contra Criticorum morſus, Protectionis Columen habeant. Laudabili huic conſuetudini, cumprimis & mihi hoc tempore obtemperandum ſit, dum tralatitium hoc de morbo verè Herculeo tractatulum, in dias luminis auras emittere auſus fui, quorum patrocinio & authoritate muniretur haud diu deliberandum fuit; illicò enim veſtra nomina laudatiſſima in memoriam venere,

nêre, quibus digniora mihi ſuccurrere vix poterant. Nominis enim veſtri fama & celebritas, (heu quantillum eſt, quod ad illam celebrandam à me adferri potuit!) ex ſummis veſtris in Patriam, cujus ſaluti non ſolùm Conſilio; ſed & Manu optimè conſulere ſoletis, meritis nata, facilè inſtar Solis alicujus omnes invidorum & æmulorũ nebulas diſcutere poteſt. Hinc non immeritò ad *Vos* mihi confugiendum ratus, confidentiore animo *Vobis* hoc præſens opuſculum, in æternum humillimæ obſervantiæ ac officioſæ gratitudinis teſtimonium, cum de-

bita veneratione conſecro, & ad Favoris & Patrocinii *Veſtri* aram ſuſpendo. Non quod levi hoc munuſculo, ingens debitum, quo jure naturæ, & meritorum ratione Patrię ſum devinctus, perſolvi à me poſſe putem; ſed ut interim aliquid tantùm eſſet pignoris quoad ipſi majora, Deo dante, offerrem. Etenim alienus ab omni naturæ ęquitate eſſem, & omnium mortalium ingratiſſimus jure merito proclamarer, niſi Patriam meam dulciſſimam, præ aliis Rebuspublicis amarem, & quantùm per me licet juvarem. Tantus enim omnibus

inge-

ingenitus eſt amor Patriæ, ut neminem ſui obliviſci patiatur; ſed mirâ dulcedine, quandocunque Patriæ nomen animo ſubrepit, corda, etiam ferociſſima demulciat. Ithacam in aſperimis ſaxis, refert Eloquentiæ Parens, tanquam nidulum affixam, Sapientiſſimus Vir Ulyſſes, immortalitati, quam Dea obtulit, antepoſuit: ut ſilentio prætercam Q. Curtium, qui cum terra in medio foro hiaret, reſponſumque eſſet non coalituram labem, niſi quiſpiam, ex optimæ ſpei adoleſcentibus ſe in hiatum demitteret, acce-

ptam à Patria vitam, eidem impendere non dubitavit, quin conſcenſo equo, alacri animo, & citra omnem moram in ſpecum ſe præcipitavit. Cum igitur tanta fuerit omnibus ſeculis Patriæ dignitas, nec unum quidem futurum ſpero, qui me, quòd hoſce meos labores *Vobis* dedicaverim, ſit reprehenſurus. Quare & *Vos* pro *Veſtro* fovete candore, & munuſculum, ſi non nominis *Veſtri* ſplendori ac virtuti par, ſaltem ab homine *Veſtri* obſervantiſſimo profectum, porrectiore ſuſcipiatis fronte, & donantis potiùs ani-

mum

mnm, quàm muneris magnitudinem ponderetis, Patrocinioque demum *Veſtro* atque favore,à Vitilitigatorum & Sycophantarum calumniis tutum reddatis. Quòd ſi feceritis (& quis dubitaret ?) calcar mihi addetis ad majora aſpirandi : & indies meliora, Deo vires ſuggerente, à me exſpectabitis. Interim nihil aliud,quàm me totum pignoris loco *Vobis* & *Veſtris* habete devinctũ & obſtrictum;meque,ut ego planè confido, eodem amore, quo ſoliti eſtis, proſequimini. Quod ſupereſt,Deum Ter Opt. Max. ſupplex ve-

neror,

neror, ut vos dulciſſimæ Patriæ noſtræ decora ac ornamenta diu incolumes ſervet, & ut deſinam cum Lyrico:

Ultrajecti ſcripſ. Menſ. Januario 25. 1670. Lugd. Batav. in lucem edid. Menſ. Aprili 8. 1670

Vos Colchus, & qui diſſimulat metum
Murſæ Cohortis Dacus, & ultimi
Noſcant Geloni, Vos peritus
Diſcat Iber, Rhodanique potor.

Illuſtriſſimi Tui *Nominis*,

ac Generoſiſſimarum Dominationum Veſtrarum humillimus Cultor

Cliens addictiſſimus

GEORGIUS KOVACS TATAI
N. M. K. Nobil. Ung.

A D

AD LECTOREM.

IN *tractando hoc inſultu Epileptico, face nobis præluxerunt* D. Daniel Sennertus *Medicorum ſui ſeculi facilè* Galenus, D. Lazarus Riverius, D. Hoffmannus, D. Thomas Werzaſcha, D. Thomas Willis *Regis Angliæ Medicus celeberrimus*, D. Henricus Regius *nunquam ſine intimo animi affectu mihi nominandus: atq; ex indefeſſis tantorum virorum lucubrationibus tractatulus hicce concinnatus ſumma ac diligenti cura. Vbi non tantùm vocabula reſervare ſtudui; ſed & res ipſas. Hinc quæ hîc, aliiſque noſtris lucubrationibus*

** nibus

nibus propoſuimus non noſtro ex cerebro unicè profecta eſſe; ſed pleraque probatis ex Authoribus deſumpta, apertè hîc, ſincereque fatemur. Hæc volui Lector humaniſſime ne neſcires. Vale & inſtituto noſtro fave qui in tui utilitatem

Vivimus & tandem claudemus lumina noſtra.

GRA-

GRATIÆ.

Doctiſſimi ac rarâ Praxeos Medicæ experientiâ felicis

D. GEORGII KOVACS TATAI

Nobilis Ungari, nuperi apud ſuos Practici gratioſi.

DIceris Herculeo *ſic nomine* MORBE *Tyranne,*
Membra caducorum plus duodena domans.
Cur SACER*? in ſacro mortalis corpore fundus*
Eſt Tibi: & à ſacro cogis abeſſe grege.
Atque utinam caderes; nec MORBE CADUCE *caducos*
Efficeres: gratus caſus & ille foret.
Sed quia multorum genio concedere neſcis

Hic diſcis: nam te plurima tela petunt

In Deſperato, *victrix induſtria vicit*
Te Juvenis Medici: tolleris *artis* ope!
Sic ſic naſcuntur virtutis germina, ſicque
Lucem diſpergas docta Juventa tuam.
Nam tibi pellendi morbos vis contigit ingens
Ut Praxis felix clamat, & ipſa probat.
Attamen eximio diſcendi duceris æſtu,
Ut ratio Praxi juncta ſit, illud agis.
Vive diu, vegetam vitam ſervare ſerenâ
Fronte valens multis. Et Patriæ eſto decus.

Quo-

Quorundam ex Suis.

SI ratio, verbum, diſcurſus *tollere* tormen
Poſſit, tunc opus eſt ut MEDICINA *fleat.*
Certa loquor, ſi Te vel Lector judice certo,
Corporis ac mentis Pharmaca juncta valent.
Si fera vulnus habet medicinam jam ſibi quærit
Et non quærentem, ludit & artis iners:
Et Vultur *ſenium fugitat, tenebras &* Hirundo
Vulnere Dictamnum ſaucia Cerva *legit.*
Deſine de Nobis alienam promere mentem

Quiſ-

Quiſquis es : è lecto TU bona verba dabis.

Litavit

MARTINUS CARCEUS deKarczagh-Uy-Szállása Cumano-Ungarus, Med. Studioſus.

IN

IN EFFIGIEM Ejuſdem.

Poſteritas inter ſeptem miracla COLOSSUM
Phœbi miratur, quem tenet ipſa Rhodos.
Hunc, ſemper Iuvenis meruit Deus, ipſus Apollo:
Ægrotis quòd opem primus in orbe tulit,
Jam ſtupet ipſe ſuo peregrinos flamine tingi,
Ac Tripodas aliis cedere, dona Deûm.
Tu mirare magis. Mortalis vivit in ipſis
Et Deus: ac aliis vita perennis erit
Qui virtute ſuâ luxêre, recedere nunquam
Poſſunt: nam virtus neſcia ſola mori
Decidat hic vultus: virtus fugitura ſepulchrum
Effugiet mortem, pars meliorquè rogum.

Effingebat
Idem, qui ſupra.

IN

LIBER PRIMUS
DE
EPILEPSIÆ
VERA DIGNOTIONE.

Jeſu animarum noſtrarum Archiatro favente.

PROOEMIUM.
Affectuum Convulſivorum difficilem cognitionem proponens.

SI quid aliud, prodigioſæ ſanè *in membris aut partibus affectis intumeſcentiæ, violentæ* & *validiſſimæ contractiones*, quinimò interdum *totius corporis concuſſiones, jactationeſque impetuoſiſſimæ* excitarunt hactenus Philoſophos, ut in effectuum illorum cauſas anxiè inquirerēt. Ut enim

inter univerſas humani corporis ægritudines, illæ quæ *cerebrum* ejuſque *appendicem* tentant, *cognitionis*, ſemper *ardua* & *impendio intricatæ* jure merito haberi ſolent: ita in tota hujuſmodi *morborum turba*, nihil abſtruſius, quodque nodis vindice dignis magis implicaretur; quàm de *veris Convulſionum cauſis*, & earundem *rationibus* (ſi ita loqui liceat) *formalibus* diſceptatio. Quapropter Averroës non dubitat pronunciare, quòd *verba Medicorum in hoc ſymptomate universè propiora ſunt verbis Muſicorum; aut fabellas canentium, quàm demonſtratorum.* Item *Galenus* qui raro admodum in aſſignandis rerum ut ut abditarum cauſis hæſitavit ingenuè fatebatur: ἥτις δ' ἀκριβῶς ἐστιν ἡ αἰτία τοῦ νοσήματος ἐφ' οὗ σπᾶται τὰ μόρια χαλε-

χαλεπὸν εἰπεῖν. Nec tantùm antiquiores Medici veritatem hanc ſublatam ex oculis, aùt altâ caligine involutam invidi quærebant; verùm & recentiores plerique in eundem lapidem graviſſimè offenderunt. Quidam nuperioris ſeculi vir doctiſſimus *Johannes Crato* exclamat, optatque: *Utinam ante vitæ noſtræ exitum veram dignotionem mali Epileptici, certumque remedium aliquis oſtenderet!* Hinc motus ego, non inutile fore duxi, ſi ommiſſis aliis convulſionum ſpeciebus; hanc de malo Epileptico affectionem (quæ inter cæteras convulſionum ſpecies, facilè prærogativam meretur) juxta probatiſſimorum Authorum ſeriem, bono publico tractarem: ut cauſa atque cura illius mihi aliiſque magis innoteſceret; ſic-

que miſerè eâ correptis, ac operam noſtram, ſi aliquando contingat, fortè implorantibus, manus auxiliatrices præbere poſſimus.

CAP. I.

Epilepſiæ deſcriptio, ejus phænomenon cenſus, ejuſque ſubjectum, cauſa interna & proxima potiſſimum in ſanguine, dein in capite radicata.

Epilepſiæ notatio, & nomenclatura.

INitio atque ante omnia, ut *Epilepſiæ* natura rectiùs innotaſcat, nominis ejus conſiderationem præmittendam eſſe cenſeo: quippe nominum conſideratione, non rarò in propriam ipſius rei provehimur cognitionem. Affectus itaque quem vulgò Epilepſiam dicimus, à Græcis vocatur Επιληψιὰ, à verbo Επιλαμβάνεσθαι, quod ſignificat, prout Lexiographi interpretantur, *prehendere, apprehendere, comprehendere, occupare, invadere & corripere*, eo quòd ſubitò *mentem* & *ſenſus omnes* quaſi *prehendat*. Apud Latinos nomenclaturas habet plurimas, quippe ab

affectionis immanitate, quâ in corpore humano quaſi imperium ampliſſimum nactus, non modò in totum Εγκέφαλον; ſed plerumque ſimul in omnes ſyſtematis nervoſi partes tyrannidem exercet, *morbus Herculeus*: ab inſultûs more, tanquam à Numine immiſſi, admodum ſtupendo *morbus ſacer* ab antiquis appellabatur; ſeu quòd nobiliſſimam & ſanctiſſimam corporis humani partem, *cerebrum* nempe occuparet & perturbaret; ſeu quòd crederent illum à dæmone aliquo, qui hominem tam repentè ac ſubitò corriperet venire: quemque ideò incantationibus curare conati ſunt; cui accedit cujuſdam non infimę notęTheologi conjectura (quam tamen nequaquam probaverim) nempe *plures qui in Novo Teſtamento pro dæmoniacis habentur, tantùm Epilepticos fuiſſe, morbique à Chriſto Salvatore curationem, ſpiritus mali ejectionem ſive exorciſmum dici.* A nonnullis *morbus caducus* vocatur, quoniam
illo

illo correpti ſubitò & ex improviſò cadunt. *Comitialem* Hypocrates 2. *aphoriſm.* 45. vocat, eò quòd in Comitiis hominumque congregationibus *Epileptici* plerumque in paroxyſmum incidere conſueverunt, & quòd ſi hoc malo correptus quis fuiſſet Comitia peragi fas non eſſet. Circa alias hujus morbi appellationes minùs uſitatas parum ſolliciti, ad naturam ejus eruendam, explicandamque rectà procedimus, quæ ut recti ratiocinii filo inveſtigari poſſit, *primò deſcriptionem ejus* ſimul *cum integro phænomenωn cenſu* exarare: *ſecundò* iſtis ritè perpenſis *morbi ſubjectum* & *partes præcipue affectas* eruere: *Tertiò* demum *rationem* & *modum*, *quo morbus iſte generetur cum veris ſymptomatum cauſis* ſubjicere nitemur.

Epilepſiæ deſcriptio ſeu morbi hiſtoria.

Deſcribitur itaque *Epilepſia*, quod *ſit univerſalis* & immanis *totius corporis convulſio, in qua ſcil. ſpiritibus* cerebri *incolis, primò à vi quadam ipſis infeſta irregulari-*

ter commotis & velut confuſis, cæteri omnes τῦ ἐγκεφάλυ appendicem *tum* medullarem *tum* nervoſam *incolentes, ſimul* motus convulſivos, *ſive* contractiones *inordinatas ineunt, unde omnis ſenſuum, aliarumque perceptionum uſus per gravem* Conarii *ſive* ſenſorii communis *affectionem tollitur, ac totum corpus involuntario, inordinato & vehementiſſimo motu aliquamdiu concutitur.*

Præcipuorum Epilepſiæ ſymptomatum recenſio.

Maxima ſymptomatum farrago & affectus multiplices *malo* huic *Epileptico* accenſentur, in ſingulis ferè partibus humani corporis excitari ſoliti, quorum recenſio, cum partium corporis diſtributione optimè perficitur. Itaque ut Epilepſiæ veſtigia à capite ad calcem pertractemus. 1. Imprimis ab illius ὑπερῴῳ incipiamus: huc ſpectant *immanes capitis dolores* cum *torpore* & *hebetudine ſenſuum,* & non rarò cum *vertigine* & *Scotomia:* item *oculorum coruſcatio, aurium tinnitus.* 2. Interdum in parte quadam exteriore,

re, *brachio* nempe aut *crure*; aut etiam in *dorſo*, vel *hypochondriis ſpaſmus aliquis* præcedit, qui exinde *inſtar auræ frigidæ* aſcendens & verſus caput perreptans, *morbi acceſſionem* infert, quæ ut plurimùm *ex improviſo aggreditur, ægroſque nihil tale cogitantes opprimit*, atque ictu oculi citiùs *ſenſu* & *intellectu orbos in terram præcipitat*: proſtratis ſupervenit *ſtridor dentium* cum *ſpuma oris*; ſæpe etiam nonnulli *pectus immaniter contundunt*: alii *brachia* & *crura validè exerunt*, eaque ac *totum* aliquandò *corpus hac* & *illac impetuosè jactant*. 3. Pleriſque autem *præcordia* & *hypochondria* nec non *totus inferior venter intumeſcunt & valdè inflantur*; quæ ſymptomata ut ſubitò ingruunt: ita ceſſante paroxyſmo, mox iterum derepente ceſſant. Interdum tamen reliquiæ illorum remanent; ſenſibuſque debilitatis, adhuc *nihil rectè intelligere, ratiocinari*, vel *eorum quæ circa ſe geſta ſunt reminiſci poſſunt*: quinimò

nonnunquam mentis alienatione ſuperveniente, *omnia ſiniſtrè agunt*, vel *in profundum riſum* & *cachinnum Sardonium* forte illum, de quo *Cicero*, ſolvuntur.

Spiritus animales intra cerebri meditullium conſitos eſſe primarium morbi ſubjectum.

Explanatis ad hunc modum hujus *morbi telis* & apparatu malefico, facilè conjicere licet, *ſedem* ejus *primariam*; ſive partem præcipuè affectam, alicubi intra caput contineri; ubi enim *Spirituum* animalium fons, & ipſius animæ ſenſitivæ origo conſiſtit, ibidem hujus morbi ſedes poni debet: nempe cum principes facultates læduntur, cæteræ omnes facilè ejuſdem noxæ participant; ac proinde ſiquidem urgente *Epilepſiæ* inſultu ἀναισθησία plerumque *ſymptoma primum* & fere *pathognomicum* exiſtit, inferre licet: *ſpiritus animales intra ipſum cerebri meditullium* ſcatentes, ante alios affici, proindeque partem illam eſſe *principalem morbi ſedem*: dein quatenus *ægrotantis caſus* ſive in *humum projectio*, atque membrorum & viſcerum convulſiones ſæpiſſi-

ſæpiſſimè *ἀναίσθητα* ipſi ſuccedunt, ſequitur *Spiritus animales* etiam *ſyſtematis nervoſi incolas*, eâdem *copulâ exploſivâ* vel ſi placet effervefcibili, imbui, cumque ipſis *cerebri incolis* in conſenſum trahi, ab iiſque ad exploſiones (effervefcentias alii dicunt) pariter inordinatas excitari.

Nec quicquam huic noſtræ aſſertioni adverſantur quorundam *Epilepticorum* exempla, in quibus paroxyſmo ingruente, primò *ſpaſmus* cum ſtupore in *manu* aut *pedis digito*, aliove membro particulari ſentitur, qui ſtatim exinde velut cum formicationis ſenſu verſus caput prorepit, quod cum attigerit illicò ægrotans in terram proſtratus *ἀναίσθητα* aliiſque pathognomicis caduci ſymptomatis corripitur:ut etiam non obſtat, quòd *prima quaſi vellicatio* (hujus morbi non minùs uſitatum procemium) à *ſtomacho, liene, utero, inteſtinis, genitalibus* aut aliis viſceribus incipit; imprimis nempe in iſtorum ali- *Objectionis ſolutio.*

quo

quo perturbatio quædam cietur; dein ab eo loco auræ velut frigidæ in caput aſcenſus percipitur, cui ſtatim affectioni caduci acceſſio, cum horrendo ſymptomatum apparatu ſuccedit. Hæc enim ita fieri *videntur tantùm*, & ex accidẽti contingunt, cùm interim in *quavis Epilepſia* non modò cauſa *procathartica* ſed & *conjuncta* omnino in *cerebro* conſiſtat; nempe ſpiritus hujus *incolas* ad *explodendum* (effervefcendum) inſtar *pulveris pyrii prædiſpoſitos*, ibidemque *exploſos*, (vel ſi mavis inſtar olei Vitrioli cum oleo Tartari mixti, effervefcentes) *caducum* omnem inferre. Quoad præliminaria autem iſtæc in quibuſdam *Epilepticis* ſymptomata, ea interdum *cauſæ evidentis*; nonnunquam verò tantum *ſigni* rationem habent. Si quando enim *diatheſi Epilepticæ* mala cujuſdam viſceris, puta *Stomachi*, *lienis*, aut *uteri* diſpoſitio accidat; quoties in viſcere iſto affecto, perturbatio quædam cietur, facilè contingit

Epilepſiæ cauſa conjuncta tantum in cerebro conſiſtit.

Epilepſiæ quæ per conſenſum excitari dicitur ratio.

tingit, ob *fermenti illic tranſmiſſionem*; aut *Spaſmi* in *caput continuationem* in cerebro prædiſpoſito acceſſionem *Epilepticam* excitari.

Nonnunquam ejuſmodi *caduci ſymptomata*, quæ exteriùs ſuſcitata, affectũ cerebro propagare vidētur, ipſius *cerebri conſēſu* oriuntur, & (ut dixi) *paroxyſmi Epileptici* ingruentis, ſive ſpirituum in *cerebro explódi* incipientium tantùm *ſigna* exiſtunt: cùm enim ſpiritus animales in *cerebri* aut *cerebelli meditulliis*, ſimulque in *medulla oblongata* juxta nervorum origines conſiti, copulâ heterogeneâ ita ſaturantur, ut ad ipſam elidendam, proindeque morbi inſultum acciendum parati ſint, priuſquam illi una omnes conglobatim exploduntur, ſpiritus aliqui exteriùs in privatis quibuſdam nervis ſcatentes; ſiquidem aſveto ſuperiorum influxu deſtituuntur, inordinationes quaſdam concipiunt, proindeq; *ſpaſmos* ineunt, qui *ſpaſmi* (prout in ejuſmodi

affectibus ſæpe mos eſt) à *nervorum extremitatibus*, huic vel iſti membro, aut viſceri inſertis incipiunt, unde ſenſim ad eorum principia prorepunt, quò cùm pervenitur, illicò ſpiritus per totum ἐγκέφαλον, priùs in exploſiones diſpoſiti, ab eo ſpaſmo commoti, proindeque tanquam fomite ignario correpti, ſubitò eliduntur, adeoque *Epilepſiæ paroxyſmum* per ſe priùs incipientem, velut *ſecundariò* & inſtinctú aliunde tradito excitare videntur: ad hunc modum aliquando *paſſiones hyſtericæ*, cùm ab imo ventre incipientes cerebro communicantur, à viſceribus iſtis oriri, & eorum culpâ ſuſcitari creduntur; cùm interim *cauſa morbifica* circa *nervorum origines* potiſſimùm ſubſiſtit; ſicut hoc *D. Thomas Willis lib. de morb. Convulſ. fusè oſtendit fol.* 161 *& ſequent.*

Paroxyſmus Epilepticus à ſpirituum animalium cerebri in colarum ſubita exploſione concitatur.

Quandoquidem igitur *inſultus Epileptici* (ut jam evicimus) nuſquam accidant niſi in ipſius *cerebri meditullio* (in quo ſpirituum ani-

animalium ſcaturigo & fons eſt) in promptu eſt conjicere ipſos *ſpiritus animales* (qui nempe ſunt primum & immediatum hujus morbi ſubjectum) ſicut in *motu regulari*: ita in hoc *convulſivo* eſſe proximum actionis inſtrumentum; ac proin *paroxyſmum Epilepticum* ab eorum *ſubita quadam rarefactione & exploſione concitari*, quâ ſcil. *cerebrum ipſum inflatur*, adeoque *inſenſile redditur*; ſimulq; *nervi appenſi* in *convulſiones* aguntur: hinc enim contingit hujus morbi acceſſionem ita derepentè incipere & perfectè terminari, ſine magna *materiæ* morbificæ aut *proviſione*; aut *reliquiis*; *quia* nempe *labes* non tam *partibus ſolidis*, quàm ipſis *ſpiritbus* infertur: qui quamdiu rectè ſeſe habent, *copulâque nempe exploſivâ* idoneâ, & moderatâ imbuuntur, ac ad ipſam elidendam, atque ad deſtinata quævis munia peragenda, tantùm mentis imperio, aut naturæ inſtinctu proritantur, *motus* ſolummodò *regulares* pariunt;

riunt; ſin verò iidem ſpiritus ſibimet copulam *heterogeneam*, ac nimis *elaſticam* aſciverint, vel ſi juſtò impetuoſiùs & vehementiùs in actus ſuos rapiantur: utique tanquam equi effrenes ſtimulis agitati, inordinatè exiliunt, rationiſque beneſvadæ conſilium rejicientes, voluntatis gubernium exiliunt & in contrarium feruntur juxta illud: *Fertur equis auriga nec audit currus habenas*: parteſque contentas velut currus appenſos motu perverſo ac offero ſecum una corripiunt.

Epilepſiæ cauſas remotiores exponit.

His ita præmiſſis de *affectionis Epileptica* cauſa interna & proxima, circa remotiores ejus cauſas, multiplicemque ejuſdem mali apparatum particulatiùs diſquirendum reſtat. Ægritudo igitur *Epileptica* plerumque originem ſuam à Capite deſumit: nimirum quoties particulæ *heterogeneæ & exploſivæ* à ſanguine in cerebrum aut appendicem ejus medullarem ſuffuſæ, illinc poſtea in medullium ejus derivantur, ibidemque

ſpiriti-

ſpiritibus accreſcunt: unde ſtatim colligere licet; miaſma Epilepticum vel in *ſanguine*, vel in ipſo *cerebro*: aut ſimul in utriſque fundari. Revera *Sanguini labem* affigi *efferveſcentiæ ejus inordinatæ, totius corporis ſegnities, ventriculi dolor, urinæ tenues & velut elixiviatæ* teſtantur, quæ ut plurimùm maſſæ ſanguineæ depravationi ſuccedunt: nec minùs ipſi *cerebro* vitium inhærere declarant: vehementes capitis inflationes, mentis torpor, vertigo & crebra ſpirituum animalium deliquia, aliaque ſupremæ regionis accidētia. Cùm itaque utrique in vitio deprehendantur, videamus quis prior aut potior in culpa fuerit, undenam labem ſuam contrahat, ac quo ritu unus alteri, ac inſuper partibus quibuſcumque aliis affici ſolitis, noxa communicetur.

Materia morbifica intra caput ægritur vitio, tam ſanguinis mittentis.

Quoad ſanguinem, obſervare licet eum, uti vinum ob duas præcipuè cauſas ægrotare: nempe vel quoniam ejus *craſis*, ſive *temperies pervertitur*. h. e. quatenus ele-

Sanguinis & vinorum dyſcraſiæ comparantur.

mento uno;forſan aut altero,quibus dominium debebatur, ſuppreſſis,aliud quod ſubjugari oportuit, exaltatur: vel quoniam *aliquid extraneum* & non ritè miſcibile huic aut iſti *confunditur*.

Quoad utriusque temperiem alteratam.

Circa prius, de *vinis* obſervamus, eadem aliquando *maturitatem* non attingere; ſed propter πνευματώσεως defectum; quatenus nimirum *ſpiritus*, aliaque activa *ſulphuris* & *ſalis* principia, craſſioribus obvoluta, ſeſe extricare nequeunt, prorſus *cruda* manere: quare minimè ſpiritualeſcunt;ſed conſiſtentiæ craſſæ & ſaporis ingrati in *vappam* degenerant:ſimili ferè ritu,quandoque *ſanguis ſpiritu* ac *ſale* depreſſis *crudus* & *aquoſus*,nec non vigoris expers, ac in corde vegetè accendi inhabilis perſtat; uti frequenter accidit *in febribus malignis*:item in *affectione ſcorbutica*,*cacochimica* ac imprimis *originaliter morbida*.

Quoad res non miſcibiles utrique confuſas.

Præterea *ſanguis*, uti & vinum præ mixtura extranea, citò conſtitutionem ſuam amittit. De vino

no obſervare licet quòd cùm feces priùs ſecretæ, ac ad fundum detruſæ, denuò commotæ elevantur: vel ſi heterogeneum aliquid, uti ſerum; aut ſulphur exoticum dolio injicitur, exinde perturbatio inſignis concitatur. Pariter quamplurimæ ſunt res non miſcibiles, quæ *ſanguini* confuſæ, motum ac circulationem ejus perturbant, & œconomiæ ritus, quo minus rectè perficiantur, impediunt. Ita in magnis viſcerum impuritatibus, ac præcipuè cùm partes aliquæ *abceſſu* aut *ulcere virulento*, vel *fermento noxio* afficiuntur, è talibus *μάσμα των νοσερων mineris* particulæ noxiæ in ſanguinem ebulliunt, ejuſque commeatu poſtea in cerebrum deponuntur, ſicque *Epilepſiam* inducunt; nempe dum ſanguis à *liene* aut uterò vitioſus exiſtens depurare ſe ſatagit, fœculentias ſuas, efflorefcentia in cutim facta exterminari ſolitas, in caput transfert: quare latex modò tenuis & ſeroſus; modò craſſior ac

viſcidior, & uterque naturæ efferæ & *pulveris nitrati* magis ęmula intra hos aut illos cerebri, cerebelli atque medullæ oblongatæ receſſus & cavitates deponuntur, cujuſmodi recrementa cùm non tantùm nervi hujus aut illius origines aut caudices; ſed etiam ipſum εγκεφάλον, ejuſque appendicem tum medullarem, tum nervoſam obſident; ſpiritibuſque non modò in *nervoſo genere*; ſed etiam intra ipſum εγκεφάλον conſitis, particulas heterogeneas, atque in exploſiones Epilepticas aptas affigunt, quas quamprimum *ſpiritus* ipſi inbiberunt, cum illis non benè mixti aut ſponte ſuâ, & ſine cauſa evidenti, aut à levi quavis occaſione incitati, eas elidere ſatagunt; ſicque *ſpirituum* & *copulæ iſtius particulæ exploſivæ, ab invicem eliſæ, caduci paroxyſmum cient.*

Tum Cerebri ſuſcipientis.

Quamvis autem *ejuſmodi copula ſpaſmotica, è ſanguine in cerebrum* primò extillatur; haud tamen facilè inquinamentum hoc

capiti

capiti allinit; niſi etiam *cerebri*, ejuſque appendicis conſtitutio aliquatenus in vitio fuerit. Quamdiu hæ partes benè conformātur, & vigore pollent, ſe, ſuaque tuentur, foribus excluſis, nîl præter liquorem ſpiriruoſum, ſuis uſibus dicatum, purum putumque admittunt; ſin verò; aut *Cerebri meatus* & *pori* nimis laxantur. Aut *ſpiritus oſtiarii* ab excubiis ſuis ceſſant, vel avocantur; una cum ſanguine materies heterogenea & morbifica irrepit, ac in regimine animali malignitatē ſuā explicat.

Quod ſpectat ad ipſius *Cerebri malam diſpoſitionem*, eadem aliquando *hæreditaria* exiſtit: ita ût morbi fomes à parentibus in natos derivatus, abſque aliis cauſis ſive externis, ſive internis fructus morbidos, affectionis Epilepticæ indolem exactè referentes producat. Hæc autem *Cerebri conſtitutio* à partu multis modis fieri poteſt vitioſa: nam aut ipſius *intemperies* juſto eſt *humidior* aut *ſiccior*, vel alterius *qualitatis exceſſu*

Cerebri mala dyathesis vel hæreditaria.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ceſſu aut *defectu* peccat. Interdum *pori* ſunt *laxiores*, vel *conſiſtentia* ejus nimis *dura* aut *mollis* eſt: quin & *partium Cerebri* & appendicis ejus *conformatio* indebito more habere poteſt.

Vel acquiſita. Ceterum aliquando *Cerebri* & *nervorum indoles* originaliter ſana & firma; ex accidenti vitiatur, & *dyatheſin morbidam* acquirit. *Longa intemperantia* has partes enervat; quin & *febres malignæ*, quatenus à crebra, nimiâque ſanguinis deflagratione, ſpiritus plurimùm aſſummuntur, ut liquor pauperior & effetus evadat, eas plurimùm debilitant. Porro accidentia externa, uti ſuut *frigoris* & *caloris exceſſus*, nutritio uberior, aut juſto calidior, *aëris* ac *auræ mutationes*, ac imprimis lunationum periodi, earum Craſin non rarò pervertunt; etenim propter has aliaſvè ſimiles occaſiones, ſanguis plus debito efferveſcens, copulam heterogeneam ſpiritibus uſque ad plenitudinem citiùs affigit, atq; ab ipſis perturbatis, ut è veſtigio elidatur

datur & explodatur, efficit. Inſuper & qualitatum tangibilium exceſſus exteriùs inflicti, quales ſunt: *Vulnus* & *plaga* has partes *impreſſionum morbidarum* magis capaces reddunt; & quandoquidem irritatio ferè in qualibet ſyſtematis nervoſi parte diſpoſitionem convulſivam non raro in actum deducit, hinc non ſolùm qualitatum tangibilium exceſſus exteriùs inflicti (prout proximè innui) verùm & lac in *ventriculo coagulatum*, bilis, aliique humores acres aut etiam vermes inteſtina vellicantes ſanam ac firmam *cerebri nervorumque* indolem ſæpiſſimè inficiunt, proindeque ad Epilepſiam diſponunt. Sed de his etiam inferiùs.

Quòd verò ſpectat ad *ſpirituum animalium* ἀταξίας, propter quas particulæ heterogeneæ *cerebrum* abſque *repulſu* ſubeunt, illique faciliùs cohærent; obſervare eſt *ſpiritus animales* quibuſdam ab ipſa nativitate *teneriores* & citò *diſſipabiles* exiſtere, ita quidem ut nihil

hil *ſenſui* aut imaginationi fortiùs & vehementiùs oblatum tolerare poſſint, qnin ſtatim in confuſiones adigantur. Propter hanc rationem fœminæ præ viris, earumque aliæ præ aliis *affectibus*, dictis *hyſtericis* obnoxiæ fiunt. Porro interdum *paſſio violenta ſpiritibus*, ut ut mediocriter firmis, ejuſmodi proſternationem ac inordinationem imprimit, ut poſtea nihil fortiter ſufferre, nec cuivis injuriæ reſiſtere valeant: ita paſſim accidit *ſubito timore*, aut ingenti triſtitiâ regimini animali impreſſiones morbidas affigi, quę poſtea vix unquam delentur: hinc enim pueruli & infantes ſæpe *affectiones*, dictas *Epilepticas*, primò contrahunt, iiſque poſtea ferè ſemper aſſueſcunt.

Materies morbifica intra caput admiſſa quomodo diſponit.

Atque ex his conſtare videtur, quibus modis, & ob quas cauſas dyatheſis Epileptica intra ἐγκεφάλον admitti ſoleat, jam proximè videamus, quid de illa fiat poſtea; ſiquidem iſta materia ad cerebrum advecta *affectum caducum* aut non

ſemper

ſemper aut non eodem prorſus modo producitur.

Interdum accidit *particulas heterogeneas exploſivas* in *Cerebrum* admitti, quæ tamen exinde, ſine magna noxa, & priuſquam ſpiritibus intra ipſum ἐγκέφαλον conſitis affigantur, rurſus exterminantur: quippe *venæ* & *lymphæ-ductus* ſæpè quod ſuperfluum & regimini animali inimicum eſt, reſorbent: & vel foras convehunt; vel in emunctoria deponunt. Dum talis materia parumper in cerebro agitatur, particulæ ejus ſpiritibus nonnullis *affixæ*, ab iiſque demum *eliſæ vertiginem* & *Scotomiam* cient; ac verò quia ipſos omnes non prehendant, affectiones Epilepticæ minimè ſuccedunt. *Interdum è Cerebro regeritur.*

Quando ejuſmodi *copula exploſiva, particulis*, ut *videtur nitroſulphureis* conſtans, intra ἐγκέφαλον admiſſa, non exinde ſtatim relegatur, ſæpè numero noxam ſuam, priuſquam *ſpiritibus animalibus* acreſcat, haud prodit, ple- *Interdum in genus nervoſum detruditur.*

 rumque

rumque enim ſpiritus adhuc admodũ vegetos ibi non prehendit: quæ propterea exinde mox, ſiquidem è Cerebro per vaſa excretoria amandari non poteſt, in *ſyſtema nervoſum*, utpote partem ignobiliorem detruſa, *ſpaſmos particulares*, & juxta loca affecta reſpectivos accerſit; ſin verò *talis materia*, ſiquidem *uberior* & *potens*, atque cerebri *conſtitutio imbecillis* fuerit, ſpiritibus non tantùm in *nervoſo genere*; ſed etiam intra ipſum *cerebri meditullium* ſcatentibus *affigatur*, *dyateſin Epilepticam infert*.

In Cerebro manens caducum infert.

CAP. II.

De Epilepſiæ cauſis remotioribus, à quibus nimirum maſſæ ſanguineæ & per conſequens cerebro labes infigitur.

HActenus oſtendimus *quo ritu* in *ſanguine* & deinceps in ipſo *cerebro* affectionis *Epilepticæ* prima quaſi ſemina conſeruntur. Priuſquam *morbi fructus* ſive *ſymptomata*, propter malam utriuſ-

que dyatheſin excitata, eorumque rationes & fiendi modos perpendamus; in ipſius *morbi cauſas remotiores* & differentias inquirere oportebit: nempe ut conſtet ob quas περιφάσεις & quali apparatu *diſpoſitio hæc Epileptica* prædictis iſtis imprimatur.

Atque hîc præterire non debemus, quid alii *Authores*, *inſultûs Epileptici naturam diligentiſſimè rimati*, circa *cauſas* & *ſubjectum* ejus ſtatuerunt. Enimverò inter Authores tum de parte affecta, tum de afficiendi modo res varié controvertitur. Plerique *Cerebrum* & *quamvis ejus partem*, à *morbi* hujus *culpa* eximentes, cauſam ejus omninò in *meningas* rejiciunt; aſſerentes ſcil. *membranas cerebrum inveſtientes*, ac imprimis illarum *proceſſus cerebri* ac *cerebelli fiſſionibus inſtratos*; ſiquidem à materia morbifica vellicantur, *ſpaſmos* ſive *convulſiones immanes concipere*, dein à *meningibus* iſtis contractis & diductis, unà *Cerebrum* inclufum valdè *comprimi* & *Aliorum ſententia de origine Epilepſia recenſentur.*

conſtringi: ita ut *poris* & *meatibus* ejus conſtrictis ἀναισθησία inferatur, ſimulque nervorum caudices, quibus *utraque meninx* appenditur, in conſenſum illarum perducti, etiam motus convulſivos ineant. Huic opinioni, ut ut probabili, ne per omnia conſentiam, quædam non levis momenti rationes evincunt. Primò ſiquidem impoſſibile videtur *meningas* (quòd quidem hîc ſupponitur) quoad totas earum concavitates, poſſe vi quadam ita *contrahi*, ut inſtar marſupii arctiùs conſtricti, contenta ſua undique convellant, ac in ſpatium anguſtius contrahant: quippe *dura mater* pluribus in locis *calvariæ* firmiſſimè cohæret; quin & ipſi *pia mater*, juxta *ſinuum proceſſus*, mutuo membranarum nexu, & ubique præterea vaſorum continuitate colligatur, unde facilè patet *utramque membranam*, quoad magnam ſui partem *immobilem eſſe*, ita ut *ſpaſmos univerſales* nequaquam ineant: quòd verò ad *ſpaſmos minores* atti-

Aſſeritur meningas non eſſe primario affectas.

attinet, ut cùm *meningis hujus* vel *illius*, aut ſimul utriuſque portio quædam conveilitur, revera tales evenire concedimus: nam ſæpiùs audire licet *cephalalgiâ* gravi affectos, de magna partium ſub *calvariæ latere*, modò *dextro*, modò *ſyniſtro* conſitarum *conſtrictione* immaniter queri; nec tamen exinde ullus *caduci inſultus* ſequi obſervamus. Præterea haud etiam rectè ſtatuitur *paroxyſmum Epilepticum*, ex inde ſolere induci, quòd *membranæ* iſtæ inſigniter *læſæ*, vellicationes ſubeant: contigit enim aliquando, *abceſſu* in *dura matre* excitato, & tandem diſrupto, cùm à pure fœtidiſſimo *menix tenuior*, & cerebri cortex exeduntur, ægrotantes, primò quidem in *ſtuporem* & tandem in Apoplexiam lethalem incidiſſe, qui tamen in toto morbo decurſu *ſymptomate quovis Epileptico*, immunes degunt. Quinimò obſervavit *D. Thomas Willis* (ex cujus viridario, hocce, ſi ita dici meretur, florilegium eſt) *du-*

ram matrem terebello à chirurgo imperito adhibito valdè dilaceratam : in alio caſu eam, cum parte *calvariæ* per vulnus abſciſſam, ut portio quædam *Cerebri* extuberaret, nec tamen cuilibet horum (inquit) *pathemata quævis Epileptica* ſupervenerunt. Quapropter nec veriſimile eſt *ſanguinem* aut *humores*, vel (ſi quiſquam ita contendat) *vapores meningibus* iſtis impactos, majorem noxam inferre, quàm aut *plagam* aut *vulnera* iiſdem inflicta, aut *ſaniem* ibi ſuffuſam. Porro *Epilepſiâ leviori affecti*, ſiquidem vix concidunt, ac per totum morbi inſultum adhuc animo conſtant, *membranas* ita *contrahi* & *cerebri globum* arctiùs compingi perciperent, ſi ejuſmodi quæpiam affectio ſubeſſet; verùm illi è contra, *cerebrum* quaſi *inflatum*, & ſpiritus, velut fulguris è nube erumpentis glomeres, cum efferatione quâdam exilientes ac velut *exploſos* perſentiſcere videntur.

Nonnulli exiſtimant *Cerebrum* à mate-

à materia acri & maligna irritatum, acrimoniam & malignitatem illam *ſentire*, atque ideò ſeſe *contrahere*, & *ad eam expellendam inſurgere*: illud porro contractum omnes nervos tanquam lora ſibi alligata, variis motibus contrahere & agitare, & hinc omnes iſtos violentos, inordinatoſque variarum partium motus, in Epilepticis obſervatos, originem ducere. Verùm cùm in multis, inſultu Epileptico laborantibus, tempore paroxyſmi, nullus ſit ſenſus, nec ulla alia cognitio, idcirco *Cerebrum* in illa exacerbatione, nihil quicquam ſentiens & cognoſcés, atque hinc nihil quicquam expellere appetens; perperam acrimoniam & malignitatem materiæ ſentire, & ad eam expellendam inſurgere, ſe ſeque contrahere, & alias ſibi alligatas partes, ſua contractione agitare dicitur. Huc accidit, quod Excellentiſſimus & ſupra laudem noſtram poſitus *D. Hendricus Regius*, Præceptor meus ſubmiſſo animi cultu ætatem

Epilepſia non oritur ab irritatione Cerebri.

tem devenerandus lib. ſuo Pract. Med. docet: nempè *Cerebrum* ipſum, nullum motum per ſe; ſed omnem à *ſpiritibus animalibus* habet, qui variè moti, varièque determinati, citra ullum ſenſum, appetitum, vel voluntatem, varias, admirandaſque agitationes in corpore organico producere, parteſqve ejus variè vehementerque movere poſſunt, ut hoc cuivis eſt manifeſtum, qui mechanicas hydraulicas, pneumaticas, aliaſvè tum naturales tum artificiales diligentiùs eſt contemplatus.

Objectionis ſolutio.

Nec eſt quod quiſquam nobis objiciat, *motum perpetuum cerebri*, quo illud ad oculum perpetuò, alternatimque dilatatur & contrahitur: vel *illum, quo per ſternutationem hoc vehementiùs movetur*; atque hinc inferat Cerebro ſenſum & cognitionem naturalem, quâ citra hominis cognitionem, aliquid ſibi utile eſſe ſentiat & cognoſcat, atrahat vel expellat, neceſſariò eſſe adſcribendam.

Motus

Motus enim iſti non fiunt à facultate Cerebri ſentiente, vel vi movente ipſi propria, non aliunde orta. Nam *diaſtole cerebri*, fit à ſpiritibus in cavitates ventriculorum è plexu choroide in cordis dilatatione, exhalantibus, & cerebrum attollentibus; *Syſtole* verò, à ſpontanea cerebri ſubſidentia, ex nervorum ſpirituum, per *ſyſtolen* cordis in ventriculos cerebri tum non exhalantium, defectu; & ſpirituum in ventriculis jam exiſtentium refrigeratione profecta: quod ex cordis & Cerebri motu eodem momento in utriſque contingente eſt manifeſtum. *Sternutatio* verò, non fit à motu cerebri contractorio; ſed à re cebrum ſtimulante, & ſpiritus animales in ventriculis ejus ita determinante & tales Cerebri poros aperiente, ut illi in maſculos reſpiratorios, *abdominis*, *thoracis*, *faciei* & *narium* vehementiùs fluentes, aërem è naribus, magna cum vehementia, expellant, cerebrum concutiant, & quælibet

obvia ejiciant.

In recitandis aliorum circa hujus morbi *naturam* & *cauſas* ſententiis non moror; quæ apud antiquos diu celebris increbuit opinio, affectionem hanc omneſque alias convulſionis, motuumque convulſivorum ſpecies tantùm à *repletione* aut inanitione produci (utcunque huic ſtabiliendę præter authoritatem venerādi Senis, proferatur exemplum de *corio* aut *fidium nervis*, qui aut madido aëri *impleti*, aut nimis *ſicco* inaniti contrahi ſolent) facilè ex ſe concidit; quippè magna inter hæc intercedit diſſimilitudo: nervi enim teſtudinis, ſunt conflati ex inteſtinorum quorundam animalium, fibrillis inter ſe fortiter contortis, qui idcirco ab aëris humiditate, in interſtitia earum impulſa, diſtendi, contrahi & interdum diſrumpi poſſunt; fibrillæ verò noſtrorum nervorum non ſunt contortæ; ſed laxæ inter ſe cohærent, atque ideò inſtar chartæ in aqua maceratæ, ab humoribus

moribus illapſis eſſent potiùs relaxandæ, quàm contrahendæ. Imò ſi tales motus convulſivi à tali nervorum repletione orirêtur, cavitates eorum ab humoribus eas replentibus, obſtruerentur, atque ita cum hac convulſione Paralyſis, ſenſum & motum tollens, neceſſariò eſſet conjuncta, quæ tamen (quod ſciam) nunquam contigit.

Nec etiam credibile eſſe poteſt, tantam in corpore vivente ſiccitatē exiſtere, ut nervi ad modum chordarū & lororum contrahi & corrugari queant; conſtat enim quòd maximâ quæ corpori humano contingit ſiccitate, nihil contractionis, nihil convulſionis accidat: quemadmodum in febribus ardentiſſimis & colliquantibus nec non in hecticis obſervare eſt. Fatemur equidem in febribus ardentibus convulſiones nonnunquam fieri, eas autem ab inanitione aut exiccatione ortum ducere pernegamus. Nam corpora ſpaſmô laborantia, non perin-

de; ac hecticâ exiccantur, quin imò plerumq; ſucculentiora ſunt; hecticos autem convulſiones pati rariſſimè obſervatum.

Non me fugit aſylum illud, quô ſe ſubducere conantur: dicunt enim *non omnem inanitionem magnam; ſed eam quæ confeſtim & inæqualiter ſit convulſionis eſſe cauſam*; verùm hæc reſponſio ſuâ ſponte corruit; vix quippè, credibile eſt, fieri tantam, in tantillo temporis ſpatio, in nervis inanitionem, ut ſubitò ex inde ea exoriatur exiccatio, quâ nervi inſtar chordarum contrahantur & corrugentur. Porrò chordæ licet æqualiter corrugentur, contrahuntur tamen, etſi eadem nervorum & chordarum eſſet ratio, ſanè nervi etiamſi pedetentim & æqualiter exiccentur, æquè tamen ac chordæ contraherentur; hoc unicum tantùm addam; authores pro ea militantes & morbos ex ſiccitate pro curatu difficillimis habentes, dicant mihi tantùm: ſi ex ſiccitate nervorum convul-

convulſio in purgatione accideret, quomodo tam citò purgatione ceſſante abſumpta humiditas, nervis reſtitui poteſt? Quòd enim dicit *Hyppocrates* ſect. v. aphr. I. *Convulſio ab elleboro lethalis*, veriſſimum eſt; ſæpè enim brevi poſt aſſumptum medicamentum temporis ſpatio, atque habitu corporis non imminuto, *ſpaſmum* contingere certum eſt; hoc tamen ab *inanitione* fieri cave dixeris; nec enim credibile eſt, in illo caſu, ſi quis habitu carnoſo & pleno, poſt ſumptum *helleborum*; aut aliud medicamentum purgans vehemens, *convulſionem* patitur: ita corpus *inaniri* & *exiccari* poſſe, ut nervi chordarum inſtar contraherentur.

Rejecta ergo eorum gloſſa, verbis *Hyppocratis* graſsè nimis impoſita, de *inanitione* & *repletione* nervorum, tanquam *Convulſionis* cauſa; putamus *convulſionem* vel *motus convulſivos*, *inanitionem* puta, hypercathorſin ſequi, quatenus in ea unà cum humoribus

 pravis,

pravis, boni ſimul excernantur, & *ſpirituum* magnum ſit diſpendium, unde notabilis exurgit humorum acrimonia; *repletionem* autem, puta *ingluviem* aut *ebrietatem*, quatenus ex ſumma inde humorum exagitatione & efferveſcentia vitioſa, *particulæ exploſivæ* priùs latentes & quietæ, cum ſumma violentia quaquaverſum explodúntur, atque ſic affectibus prædictis anſam præbeant.

Perpenſis ergo aliorum ſententiis, jam tempus monet, ut *morbi hujus cauſas* tum *procatarticas*, tum *evidentes* ex triplici *rerum naturalium*, non *naturalium*, & *præternaturalium* ordine juxta recti ratiocinii filum, quâ tenuitas noſtra poteſt accuratiùs explanare. Excellit inter

Res naturales *Temperamentum* & *diſpoſitio hæreditaria* à parentibus mutuata. Ita novi pueros ſtirpe valetudinariâ oriundos, *gravioribus capitis doloribus*, cum *torpore* & *hebetudine ſenſuum* & non rarò *vertigine*; ſæpè etiam

etiam capitis concuſſione & crebrâ in humum projectione affectos fuiſſe. Inſuper obſervare licet, parentum, inſultu Epileptico laborantium natos, gravioribus *Epilepticæ affectionis* ſymptomatibus æmulis obnoxios degiſſe. Hujuſmodi affectuum ratio in hoc videtur conſiſtere, quòd interdum natura, & cum ea non raTò *miaſma morbidum* humori genitali, ejuſque ſpirituoſioribus partibus intimiùs impreſſum, embrioni affricatur, & ſic mumia fœtus, ſtatim in prima conformatione inquinatur, quod miaſma morbidum, ſe inſtar fermenti habet, quod licet aliis particulis involutum, aliquamdiu lateat; tamen tandem δυνάμεις ſuas exerit, atque in ſanguine, aut etiam in ipſis ſpiritibus *diſpoſitionis Epilepticæ* ſemina exuſcitat, eaque ſupra cæteras ſanguinis & ſpirituum particulas evehendo, in labem Epilepticam deflectit.

Quomodo Epilepſia hæreditaria contrahitur.

ÆTAS etiam una præ altera ad Epilepſiam diſponit. Ita pueruli

ætati inſultus Epileptici inſcribuntur à Coô 3. Aphor. 29. Pueris enim cum πάντα τ̃ ἐγκέφαλον valdè ſint imbecilia & viſcoſa humiditate ſcateant: nempè cerebrum minùs firmum, atque nervorum tonus valdè laxus, ne leviores quidem cujuſvis materiæ impetus ſuſtinere poſſunt, quin ſpiritus, eorum incolæ, etiam à proprio; quo iſtæ partes irrigantur, liquore paulatim modò immoderatior affluſcerit; aut ſaltem copioſior quàm pro tantilli roboris modulo, facilè in motus irregulares, ſive convulſionem Epilepticam incitantur.

Quare pueri præ adultis Epilepſiæ obnoxii.

Viſcera excretionibus publicis dicata, ſi ſuis ritè non fungantur officiis, largam Epilepſiæ meſſem producunt. Si quando enim à longo tempore accidat è chylo vitiato *ſuccum nutritium* non niſi incongruum, atque *nitroſulphureis* particulis refertum, maſſæ ſanguineæ ſuppeditari, neceſsè eſt hujus *craſin*, tandem mutari, & juxta materiæ, unde conſtat & quoti-

Quomodo viſcerum & primarum viarum culpa contrahitur Epilepſia.

quotidiè ſuppletur indolem perverti.

Aër quam ob cauſam Epilepſiam pariat.

Inter RES NON NATVRALES primò loco ſe nobis ſiſtit AER, qui ſi juſto humidior, ac tetras exhalationes & inquinamenta continuò diffuderit, ſub duplici reſpectu inſalubris, & non rarò *Epilepſiæ* parens eſt: ſcil: ob *tranſpirationem impeditam*, & propter *fermenti incongrui ſuſceptionem.* Primò enim in aëre craſſo & minùs eventilato degentibus, meatus & pori cutis valdè conſtringuntur: quare cum effluvia ſanguinis haud debitè ſatis exhalant, eademque intus retenta reliquam maſſam ſanguineam fermentant, ejuſque particulas activas ad varias inordinationes diſponunt. Deinde *ſecundò*, quatenus eodem tempore vapores tetri *nitrum* & *ſulphur* incongruum redolentes inſpirantur, propterea ſanguinis ſpiritus valdè deprimuntur, ac interea particulæ ejus ſulphureæ & nitroſæ ad ἀκρότητας evehuntur, proindeque maſſæ ſanguineæ

craſis ſenſim mutata in morbidam degenerat, ſicque *dyatheſin Epilepticam* infert.

Quales cibi Epilepſiam pariunt.

Ex eſculentis & potulentis materiam prę reliquis Epilepſiæ ſubminiſtrant *cibi excrementitii, graveolentes* & *facilè corruptibiles.* Quanquam enim non in omnibus Epilepſiam inducant; frequentiùs tamen quàm alia ad Epilepſię generationem faciunt. Ita ex eſu *fructuum horariorum crudorum*, & *lactis nimia ingurgitatione* puellam *Epilepſiá* correptam fuiſſe refert *Franciſcus Hildesheim Spicileg. p.* 599. Cibi itidem illi qui peculiari vi *Epilepſiam* excitari creduntur: ut *carnes hœdorum, hepar hircinum* & *caprinum, coturnices, paſſeres, anguillæ* de quibus omnibus exempla habet *Foreſtus lib.* 10. *in Schol. obſ.* 57. *Apium* de quo *Sennertus lib.* 1. *part. ij. C.* 31. *&* 12. *Lentes* de quibus exemplum vide apud *Julium Alexandrum lib.* 8. *Salubr. cap.* 7.

Exceſſus in motu corporis huc pertinent. Exercitiis enim vel laboribus

boribus nimis violentis ac continuis, tenuiores ac calidiores ſanguinis partes exhalant, ſpiritusque diſſipantur, ac per conſequens corpus refrigeratur; viſcera genuino ſuo nutrimento privantur, quæ exinde debilitata ſanguinem pauperem & tenuem conficiunt, qui cerebro & nervoſo generi liquorem non niſi vitioſum ſuppeditat. Porro à *quiete nimia* calor quaſi ſopitur & in actum non deducitur, unde & vapores craſſi non diſcutiuntur. *Excreta* & *retenta* non ſunt omittenda. Ita quando vel excernuntur ea, quæ retineri debebant, vel retinentur ea quæ excerni debebant, non rarò hunc morbum inducunt. Sic ſupreſſio menſium nonnunquam Epilepſiam infert, quod exemplo in fœmina quadam obſervato illuſtravit ſæpè nominatus; ſed nunquam ſatis laudatus Nobiliſſ. *D Hendricus Regius lib.* 1. *Prax. Med. fol.* 36. *Quare exercitiis immoderatis ac diuturnis ſupervenit.*

Animi pathemata, imprimis *ira, timor; meſtitia* remotioribus

Quare triſtitia & ſtudia immodica Epilepſiam inducant.

Epilepſię cauſis poſſunt annumerari. *Meſtitia* ſiquidem (ut alia prætercam) *animam inferiorem* ſeu corpoream immediatè afficiens, binas ejus partes nempe *ſenſitivam* & *vitalem* intus compellit, earum *ſyſtaſes* à ſolitis expanſionibus inhibens coarctat, ac in minus ſpatium contrahit: hinc ſpiritus animales à debita expanſione præpediti œconomiā ſuam remittunt, quare & *ſanguis* minori ambitu circuitus ſuos repetens, circa ſinus *cordis* agglomerari, ibidemque ſtagnare aptus eſt; hinc cum ſpiritus utriuſque regiminis ſcil. tum *animalis* tum *vitalis* præſides, deprimuntur, & *ſanguis* & *ſuccus nervoſus* ſecundum craſes ſuas alterari incipiunt, & uterq; vigorem ſuum ſenſim amittēs à liquore generoſo verſus feculentū & effœtum vergit: inſuper coctionis viſcera ſolito ſpirituum influxu denegato, munia ſua perperam obeunt. Hinc à chylo minùs rectè cocto aut inter coquendum depravatò *ſuccus nutritius*

tritiùs (ut & jam ſuperius innui) non niſi feculentiis refertus maſſæ ſanguineæ infunditur, unde *craſis* ejus magis pervertitur inque dyatheſin Epilepticam faciliùs tranſit.

Porrò ob hanc rationem *ſtudia immodica* & *nimis ſeria* ac *continua animi intentio*, quatenus hinc ſpiritibus depreſſis, & viſcerum muniis ſubverſis humorum præcipuè craſes in pejus alterantur, ſæpè inſultum Epilepticum acceſſunt. Cui accedit quòd tum *meſti* tum *ſtudioſi* vitam ſedentariam, plerumque degunt cujus cauſa & *ſanguis* & *ſuccus nervoſus*, tanquam aqua motûs defectu ſitum contrahens, vitiari & corruptelam Epilepticam promptiùs inire ſolent. Exemplum vid. *apud Gale. lib. 5. de loco affect. c. 6.*

RES PRÆTERNATURALES huc quoque ſuum conferunt ἐπιβάλλον μέρος. *Febres malignæ* & alii morbi cronici malè curati hujuſmodi diſpoſitionis Epilepticæ ſemina imprimere valent. Imprimis

primis verò obſervare eſt præter venena & qualitatum tangibilium exceſſus, qui ab extra infliguntur, multa quæ intus in nobis gignuntur ſcil. varia *ſanguinis* & *ſucci nervoſi* recrementa, *humores præternaturales*, quinimò *lumbricos*, *calculos*, cum pluribus aliis nervoſo generi ac etiam ſpiritibus infeſta eſſe, ac proin *inſultus Epilepticos* paſſim ciere. Nempe cum ab his ſimilibuſque aliis *gravis moleſtia* cum fibrarum & ſpirituum irritatione nervoſo generi exhibetur: quippe eadem *moleſtia* mox cum primis ſpiritibus cerebri & cerebelli *incolis* (quibus jam particulas *heterogeneas* & valde *exploſivas* acreſcere ſupponimus,) communicata, ex iniqua hac combinatione & irritatione motus inordinati ac violenti præter animi arbitrium incepti ſequuntur.

Hæc de *ſingulis cauſarum procatarticæ*, *conjunctæ*, & *evidentium* generibus à quibus *inſultus Epileptici* habituales facti, & cum

gra-

gravioribus paroxyſmis repetere ſoliti exoriuntur.

CAP. III.

De Epilepſiæ differentiis.

EX cauſis *Epilepſiæ* hactenùs deſcriptis facilè erit hujus morbi differentias aſſignare. Primò ſiquidem juxta duplicem cauſæ conjunctæ regionem ſcil. *ſanguinem* & *cerebrum*, illum materiam morbidam huic mittentem; hoc eam ſuccipiens; affectio iſta diſtingui poteſt, quòd vel *hujus* vel *iſtius ditionis maximè fuerit*, atque modò *in ſanguine* modò *in ipſo cerebro* radices potiores egerit. *Secundò* juxta *ſanguinis affecti labem*, nimirùm quod iſta *ílioſa*, *ſeroſa*, *pituitoſa* ac *melancolica* fuerit: etiam Epilepſia iiſdem nominibus inſigniatnr oportet. *Tertiò* ſecundum *morbi originem* & *invaſionis modum*, quatenùs ſcil. aut ſine aliqua *procatarſi*, tantùm à *cauſa evidenti* *ſolita-*

Epilepſiæ differentiæ proponuntur.

ſolitaria;qualis eſt *paſſio vehemens cerebro* impreſſa, *ſolutio continui* alicubi in nervoſo genere contingens (hinc enim & ſpiritus ipſi variè affici poſſunt) aut per *internum prochatarſin* oritur:item *juxta varium ejus ſtatum* multifariam diſtinguitur:nempè quòd ſit vel *idiopathica* vel *ſympathica*:*hæreditaria* vel *acquiſita*. Rurſus utraq; ſpecies variè diſtinguitur, *ratione ætatis* ſeu *temporis*, quo primò ingruit:nempè cum *prima acceſſio ante* vel *circa pubertatem* vel poſt eam contingit. Porrò *quoad morbi efficaciam* in *fortem* & *debialem*, quatenus paroxyſmi cum vel ſine ἀναίσθητα ſeu caſu fiunt. *Quoad morem ejus inordinatum*, cujus *inſultus* ſunt *vagi* ac *incerti*. Quin etiam *juxta ſymptomata*, his aut illis ægrotantibus, propter quandam temperamenti *indolem* aut *idioſyncraſiam*, peculiaria multifariam diſcriminari ſolet, & circa curationem indicationes diverſimodas requirit, de quibus poſtea explicatiùs dicetur.

In-

Interim verò *Epilepſiæ ſigna* & *ſymptomata* recenſere, eorumque cauſas & fiendi modos ſubjicere incumbit.

CAP. IV.

De Epilepſiæ ſignis ſymptomatibus, quorundamque eorum rationibus.

Epilepſiæ ſigna & ſymptomata vel extrinſeca.

SIgna quibus *Epilepſiæ* indicia capiuntur, ſunt vel extrinſeca, ſcil. accidentia quædam & circumſtantię, quæ donec morbi notæ certiores adſint, ſuſpitionem ejus præbent. Ita ſi quiſquam *Parentibus Epilepticis* ortus ſit; vel ſi febrem diuturnam, alioſvè morbos cronicos prægreſſos habuerit; vel ſi à remediis ant-Epilepticis juvamen ſenſerit; talem abſque febre; aut alterius morbi certis indiciis, valetudinariè diſpoſitum, Epilepſiæ labem quandam contraxiſſe meritò arbitremur. Vel *ſecundò* morbi hujus *ſigna*, ſunt *affectus* vel *ſymptomata præſentia* ſcil. corpore laboranti innærentia,

Vel intrinſeca, hacque duplicia, vel ſunt imminentis: quæ deſumuntur.

E

tia, quæ etiam dupliciter conſiderantur, vel *prout primam morbi invaſionem* preſagiunt, vel *imminentem paroxyſmum* ſignificant, eadē autem *ſigna* utrique inſerviunt; ſed multò certiùs in iis, qui ab *Epilepſia* actu poſſidentur, *imminentem inſultum* indicant; in iis enim qui nunquam alias hoc morbo affecti ſunt, æquivoca majori ex parte, hujuſmodi ſigna apparent, & multos alios capitis affectus prænuntiant; integra tamen eorum congeries, aliquam certitudinē afferre poteſt. Omnia igitur *imminentis Epilepſiæ* ſigna juxta *Riverium* proponemus, hâc premiſsâ monitione: non omnia in omnibus Epilepticis concurrere; ſed nonnulla *in his* alia *in illis*, pro *varia cauſarum* & *corporum diſpoſitione*; ut autem illa *debito ordine* proponantur *fontes ſignorum* percurrendi ſunt, qui ab *actionibus animalibus*, & *naturalibus*, *excrementis*, *qualitatibus immutatis* & *propriis accidentibus* ſcaturiunt.

Ratione

Ratione *functionum animalium* Epilepſiam minantur : *animi* & *corporis inſueta conturbatio, capitis gravitas, cephalalgia, vertigo, vigiliæ, plurimus ſomnus*, à quo nullum levamen emergit, *inſomnia turbulenta, mentis torpor, vel anxietas, oblivio, meſtitia, formido, ſegnities, membrorum tremor, ſenſuum hebetudines, obtutus defixus, coruſcationes oculis obverſantes & interdum nubeculæ, aurium tinnitus, fœdi odoris perceptio, linguæ inordinata commotio & oſcitatio.* *Aut ab actionibus animalibus.*

Ratione *functionum vitalium* Epilepſiam, cum aliorum ſignorum concurſu minantur : *Iracundia, Cordis palpitatio, Pectoris conſtrictio, Anhelitûs mutatio.* *Aut à functionibus vitalibus.*

Ratione *functionum naturalium* Epilepſiæ prodromi ſunt: *Cibi faſtidium, appetitus immodicus, nauſea moleſta, & oris ventriculi morſus.*

Ratione *excretorum* Epilepſiam portendunt : *Salivæ per os effluvium urinæ tenues, & velut elixiviatæ & pollutio nocturna frequentior.* *Aut ab excretis.*

Aut à qualitatibus immutatis.

Ratione *qualitatis mutatæ* & *propriorum accidentium* Epilepſiam præſagiunt: *Faciei pallor, & præcordiorum inflatio.*

Vel ſunt præſentis Epilepſiæ ſigna.

Præſens Epilepſia etiam vulgo notiſſima eſt, ſi omnibus numeris abſoluta ſit. Paroxyſmus ſpectatoribus horribile & abominabile eſt ſpectaculum; *cadunt* enim *Epileptici ſubitò, nullo ſunt in loco tuti: Variis agitantur motibus: capite, dorſo, brachiis* & *pedibus terram parietes, ſirataque pulſant,* atque *concutiunt: adeſt oculorum prominentia,* quos hinc inde volvunt: item *dyſpnæa; dentes conſtringunt: clamant* & *vociferantur: emittunt ex ore ſpumam,* quidam etiam *alvum* & *veſicam exonerant, ſemen profundunt* & *ſudant,* quæ tamen non niſi in vehementi Epilepſia contingunt.

Symptomatum cauſæ explicantur.

Ad hunc modum ab hac ſpirituum animalium *exploſione* plurimi malorum affectuum *rivuli* quaquaverſus decurrentes, in ſingulis totius corporis partibus moleſtias creant; quorum adhuc ut

plenior

plenior notitia conſtet, ex re fore videtur, nonnulla *ſymptomata*, quæ magis intricata videntur, & *cujuſque illorum rationes* & *fiendi modos* particulatiùs tradere.

Primum Epilepſiæ quaſi *pathognomicum ſignum* eſt, quòd hoc morbo affecti, nihil tale cogitantes, ictu oculi citiùs ſenſu & intellectu orbi in terram non tam *cadunt*, prout *Apoplectici*; aut *Syncopen paſſi*; ſed potiùs *cum impetu proſternuntur*, inque humum, aliaque corpora fortuitò objecta, tanquam à ſpiritu quodam malefico dejecti *alliduntur*: ita ut ſæpiſſimè aliqua *capitis*, aut *faciei pars* præ caſu violento lædatur; affectique haut ſecus ac *Demoniacus in Euangelio*, non raro in ignem aut aquam præcipitentur. Cujuſmodi malis Epileptici obnoxii ſunt eo quòd, urgente paroxyſmo, iis notitia omnis ſive providentia adimitur, ac inſuper *nervis* capiti vicinis *validè contractis*, tota corporis moles in præceps corripitur. Nimirùm in *ſyncope* & *Apoplexia*

Cur Epileptici cum impetu cadunt.

corporis affecti caſus, videtur tanquam ædificii ruina, quæ ob fulcimenta ejus ſubſtracta contingit: at verò in caduco, non aliter res habet (*ſi magna parvis componere fas eſt*) quàm ſi domus à *pulvere pyrio* exploſo ſubverteretur, quæ ut plurimùm extra locum, in quo ſteterat dimovetur.

Vnde in Epilepticis Cordis tremor ejuſque palpitatio.

Cordis tremor, palpitatio & *magni ſubſultus* nonnunquam Epileptice ſic affectis contingunt, cujuſmodi paſſiones ſunt merè convulſivæ, atque à *nervis cardiacis*, nempè ad *cor ipſum* aut *pericardium ſpectantibus*, *materia exploſiva* obſeſſis, omninò dependent: nam ſpiritus animales non tantùm intra cerebri meditullium; ſed etiam intra ipſos nervos, fibrarumque appendicem conſiti inordinatè exilientes, totam cordis compagem immaniter ſuccuti & loco moveri cogunt.

Nonnunquam *ſaliva* ſpumoſa ex ore & aliquando ex ipſis naribus effluit, quæ maximè *pathognomicum Epilepſiæ ſymptoma* vulgò

gò habetur, ab ipſoque Cerebro conſtricto in palatum exprimi putatur. Verumenim verò ut ut concedatur hoc *ſpumæ effluvium* ſæpè numero *caduci* eſſe *ſignum*; tamen illud non ita huic morbo appropriatur, quin idem in *Apoplexia*, in *Caro*, in *affectibus hyſtericis*, *aliiſvè convulſivis* interdum accidat. Porrò ejuſmodi *ſpuma* haud quaquam à *Cerebro* deſcendit; verùm à *pulmonibus inflatis*, ac uſque *ad laryngem elevatis*; unde velut cum efferveſcentia quadam, & ebullitione ſaliva ſpumeſcit: urgente ſiquidem *caduci paroxyſmo* cum pleriq; *nervi* in toto corpore contrahuntur, etiam qui pulmonem & *diaphragmatis* motibus inſerviunt *ſpaſmos immanes* paſſi, *præcordia* omnia ſurſum elevant, eaque in *ſyſtole* diuturna ferè *immobilia* continent; ita nimirùm ut *pulſus* & *reſpiratio* vix, ac ne vix perficiantur: interea quia *ſanguis* itra *cordis ſinus* coërcitus ipſum diſtendit admodum, ac ferè opprimit, *pulmones* utcun-

Unde ſpuma oris in ipſis contingit.

que impediti ne more ſolito & naturali moveantur, quòd poſſunt tamen feſtinatâ & ſpiſsâ agitatione, quoquomodo *ſanguinem è corde* exantlare ſatagunt; à quo ipſorum niſu, aër humiditatem viſcoſam crebrâ reſpiratione ſuccutiens, ut agitatum ovi albumen in ſpuman attollit, mox ſurſum in oris cavitatem elevat, & illinc ulteriùs foras propellit.

Quare nonnulli in caduco pectora contundunt.

Ob eandem hanc rationem evenit, quòd *Epileptici* quidam in terram proſtrati, *pectora ſua* manibus graviſſimè tundunt, & cohiberi ſe ægrè tolorant: nam cum *præcordia ſpaſmo affecta* & *præpedita* movere ſe ſolito more non poſſint; ſanguiſque in iis ſtangnans, non ſine inſigni cordis gravamine, vitæ ſuffocationem minatur; tunc fit ut laborantes, *cerebro* licet inſcio, mero *naturæ inſtinctu*, thoracem percutiant: nimirùm *præcordia* ita concuſſa & velut exagitata, motus ſuos retintegrent, adeoque *ſanguis* à ſtagnatione, & *cor* à gravi oppreſſione vin-

vindicetur. Non abſimili ritu hîc fieri videtur, ac cùm *dormientes*, aut *titilati* aut pulicum morſu *vellicati*, illicò locum affectum inſcii confricant aut ſcalpunt.

Epileptico inſultu ſępè tentati, vertigini ut plurimùm obnoxii fiunt; quæ ex eo oriri videtur, quòd *ſpiritus animales*, de ſolitis ſuarum expanſionum viis aliquatenus pervertuntur: nempè ſtatas ſuas ſeries vel ordines, *impediti*, vel *aliò propulſi*, abrumpere coguntur, hæc uti in aliis caſibus, ita præſertim in Epilepſia propter duas potiſſimùm cauſas, nempè alteram, aut ſimul utramque fieri contingit; ſcil. vel quia *Cerebri* meatibus & poris quibuſdam ab hoſpite extraneo occupatis, *ſpirituum commeatus* alicubi obſtruitur, vel *ſecundò ſpirituum manipuli* quidam particulis heterogeneis onuſti, aut *pone reliquos ſubſiſtere*, vel *tractibus ſuis* excedere coguntur. *Quare Epileptici ut plurimùm vertiginoſi fiunt.*

Propter ſimilem ferè cauſam *ſomnolentia* & *torpor* inſignis Epi- *Unde iniis ſomnolentia.*

lepticis frequenter accidunt; in quantum ſcil. *ſpiritus animales* particulis vel *aquoſis* aut *narcoticis* onuſti, ac plurimùm aggravati, inter *Cerebrum* etiam valdè obſtru-ctum, motus pernices & expeditos non facilè ineunt, neque functionum ſuarum actus & exercitia diu continuant, quin ſuccumbere ac *otio* & *quieti indulgere amant*. Porrò hujuſmodi affectus, quandoque à *ſpirituum animalium defectu* & *penuria* excitatur, etenim à *ſanguine* plurimùm *vitiato* & quaſi *effœto liquor* non niſi tenuis & vigoris omnis expers *cerebro* & *nervoſo generi* ſuppeditatur. A tali ἀφορίας in moribundis læthargum excitatum notat *Thomas Willis lib. de ſcorb. fol.* 270.

Quam ob cauſam Epileptici nonnulli vigiliis torquentur.

Interdum verò è contra *Epileptici* quidam *vigiliâ* ferè conſtanti moleſtantur. Cujuſmodi ſymptoma ab *animi affectibus*, & non rarò ab ipſius ſtomachi, aliorumque viſcerum perturbationibus procedit, in quantum ſcil. ob ſpiritus in quapiam *animæ ſenſitivæ*

parte

parte vehementiùs commotos, tota eorum hypoſtaſis, à *quiete* ſive *ſtatu tranquillo* ineundo, detinetur. Cujus ratio videtur eſſe, quòd interdum cum *ſucco nervoſo* particulæ quædam naturæ efferæ & irrequietæ (cujuſmodi ſunt effluvia ab *aqua forti*, aut *ſpiritu nitri* decedentia) ſpiritibus accreſcentes, eos perpetim agitari ac indeſinenter in motu eſſe cogunt: quemadmodum enim vapores ab *aquis ſtygiis* emanantes nunquam prorſus figuntur aut quieſcunt: ita particulæ heterogeneæ, quæ iſtiuſmodi ſunt indolis, *ſpiritibus cerebri incolis* adhærentes, eos ferè nunquam *otiari* aut *ſomno indulgere* ſinunt.

Hactenus *Epilepſiæ ſymptomata* explicavimus, cujuſmodi *pathologia*, affectos alios multiplices ac inter ſe ferè diverſos in ſe continet: jam proximè *prognoſticorum ſignorum* examini, utpote genuinis Æſculapii filiis digno, & cujus ſolius beneficio ſe, & artem à petulantis vulgi calumniis vindicare poſ-

poſſunt, pagellam unam atque alteram largimur.

CAP. V.

Epilepſiæ prognoſtica.

Epilepſiæ prognoſis.

CUm in *affectione Epileptica* ſimul (ut vidimus) plura & interdum valdè tetra ac horrenda ſymptomata urgere ſolent: *prognoſticon* à Medico expectatur; imò ipſe quo meliùs medendi methodum inſtituat, qualis morbi eventus futurus ſit ſedulò perpēdat. Quare in caſibus nondum deploratis ubi *ſpes aliqua evaſionis* relinquitur; aut ſaltem *mortis ſubitæ* metus longè abeſt, ſi forſan quæſtio fiat: Quam *citò* aut *tardè*: facilè aut difficilè Therapeia ſuccedat? hujſmodi criteriis inſiſtatur:

Difficilis curationis exiſtit; tum quia Cerebrum inficitur, tum quia ſingulis paroxyſmis multùm debilitatur.

1. *Epilepſia* uti non ſtatim, affectos jugulat; aut verſus ſtatum inſanabilem præcipitat: ita nec citò nec facilè curatur, Etenim *cerebri meditullium* (in quo *ſpirituum animalium* prima ſcaturigo & fons eſt) non tantum *à cauſa morbi-*

morbifica; ſed inſuper ab *effectis ejus*; nempè ſingulis paroxyſmis plurimùm *debilitatur*, ejuſque *pori laxantur*, ut deinceps *materiæ cujuſvis heterogeneæ* incurſibus facillimè pateant; adeoque ipſa *diathesis morbida* repetitis paroxyſmis confirmata, atque radices altiùs agens, ægriùs tollatur.

Circa pubertatem morbus aliquando ſua ſponte ſolvitur in quantum eo tempore duplex alteratio corpori contigit.

2. Ægritudo hæc quibus *ante pubertatem* h. e. ante 25. annum contigit, non raro ſanationem perfectam admittit. Nimirùm circa *pubertatem* corpori humano duplex alteratio; atque propterea *morbi Comitialis*, aut alterius cujuſvis non raro ſolutio contigit. Nam primò hoc tempore *humor genitalis* in *vaſis ſpermaticis* congeri incipit; unde ſequitur particulas ſpirituoſas, quæque ipſis accreſcere ſolent, *nitroſulphureas* & *morbificas* non tantùm in *cerebrum*; ſed etiam in *teſtes* deponi: quare ſi *heterogenea* iſta ſpirituum copula in novum hoc *promptuarium* uberiùs inferatur, exinde *cerebrum* immune degens, *diathe-*

F *ſin*

ſiu Epilepticam, aut aliàs *morbidam* non rarò exuit. 2. Circa *pubertatem*, prout *ſanguis* aliquid *cerebro* priùs *deſtinatum* per *arterias ſpermaticas genitalibus* ſuffundit; ſic etiam *fermentum* quoddam ab iiſdem partibus per venas retributum accipit: ſcil. particulæ quæ *ſeminali tincturâ* imbutæ in maſſam ſanguineam regeruntur, quæ ipſam vigorant ac virtutem novam & vegetiorem inſpirant; quare tunc temporis & *corporis* & *animi* dotes ſe potiſſimum exerunt, *pili erumpunt*, *vox* magis *ſonora* evadit, *fœminis catamenia fluunt*, aliaque accidentia ſuperveniunt; quibus liquidò conſtat & *ſanguinem* & *ſuccum nervoſum* ξυμώσει quadam recenti imprægnari: hocque novo naturali fermento, *fermenta* ſeu *ſemina morbifica* nonnunquam ſuperari.

Nonnunquam remediorum ope ſanatur: interdum verò uſque in mortem indomitus perſiſtit, inque mortem terminatur, vel in alium morbum commutatur.

Aſt ſi qui hujus mali labe poſt 25 annum infecti fuerint, per plures menſes, ac interdum annos, imò ſæpiſſimè per totam vitam ejus noxam luunt: quoniam illi

illi ὡς ἐπὶ πολὺ ut plurimùm inemendabili *vitio* cerebri corripiuntur. Cùm tamen etiam *Epilepſiam* talem aliquando medicamentorum ope ſanari poſſe experientia teſtatur, de *medendi methodo* & *remediorum* maximè *celebrium* rationibus mox diſquiremus, interim quo ad *morbi hujus prognoſin* ulteriùs ſpectat; ſi nec circa *pubertatem* deſinit, neque medicamentorum uſu profligari poteſt, diverſimodum adhuc eventum in variis ægrotantibus ſortitur: nam vel immediatè in *mortem* terminatur, vel in alium morbum ſcil. *Paralyſin* aut *Melancholiam* aut *Maniam* plerumque incurabilem commutatur.

Quoad priùs cùm *paroxyſmi* crebro repetunt, & qualibet vice *acerbiores* fiunt, *functio animalis* brevi *debilitatur*, atque hinc *labe* in *ſpiritus* & *nervos* præcordiis inſervientes ſenſim traductâ, *functio vitalis* paulatim enervatur, donec tandem *languente toto corpore, pulſuque imminuto* ac demum *Quomodo Epilepſia mortem pariat.*

 ceſſante

ceſſante, poſtremò *flamma vitalis* penitus extinguatur.

Quam ob cauſam Epilepſia in Paralyſin aut Melancholiam deſinit.

Quòd autem hic morbus non rarò in *Paralyſin*, *Melancholiam* aut *Maniam* deſinat, ratio eſt, quia crebris *ſpirituum animalium exploſionibus cerebri tonus* & *conformatio* depravatur, ejuſque naturalis ſtatus tandem ita pervertitur, ut particulis morbificis etiam alius generis intus admiſſis, ſpiritus figantur, nec ampliùs in *exploſiones* juſto procliviores ſint; quin potiùs vitio interdum contrario ſuperinducto ipſorum *virtus elaſtica* nimiùm deficit, ita ut ſupra modum hebetes & torpidi evadant; non ſecus ac *intenſiora febris incendia* ſanguinis *intemperies* juſto *frigidior*, ſæpè excipit: atque hæ quidem ſpirituum depreſſiones partim *propriâ* ipſorum *culpâ* contingunt, quippè particulis agilioribus nimiùm exploſis, ſegniores tantùm ſuperſunt, & deinceps ſuppeditantur; *partim* verò uti dicimus, *cerebri vitio* accidunt; eo quòd, pori & meatus

ejus

ejus à crebris *caduci* paroxyſmis uſque adeò dilatantur & aperiuntur, ut poſtea una *cum ſucco nervoſo* particulis quibuſvis *heterogeneis* & diverſimodè morbificis aditus pateſcat.

LIBER SECUNDUS.

DE

CERTA

EPILEPSIÆ

CURATIONE.

Digitized by Google

CAP. I.

Methodum medendi ſecundum indicationes ſuas proponit.

MOrbi naturâ penitus jam inveſtigatâ & cognitâ, par erit ut curationi ejus etiam pagellas aliquot tribuamus. Optima verò quis contra *Caducum* aut ingruentem aut jam præſentem inveniet remedia, inventiſque rectè in ejuſdem exſtirpatione utetur, ſi methodum medendi ſcitè certoque calleat. Abſolvitur illa tribus (prout vulgò recenſentur) indicationibus: CURATORIA, PRÆSERVATORIA & VITALI. *Indicatio triplex.*

CURATORIA reſpicit morbum ipſum, & ejus ſymptomata, eaque tollere aut ſaltem levare jubet. *Curatoria.*

PRÆSERVATORIA verſatur circa cauſas Epilepſiæ nondum actu præſentis, eoque intendit; ut tum morbi fomes immediatè à *ſanguine* vitioſo, aut *ſucco nervoſo*, atque mediatiùs à viſceribus, primiſque viis ſuppeditatus præcidatur: *Præſervatoria.*

 tum

tum ut mala *Cerebri*, ſpirituumque ejus incolarum diatheſis, quæ nempè Epilepſiæ peculiaris eſt, tollatur.

Vitalis. Vitalis virium habet cuſtodiam, naturæque per confortantia ſuccurrendum monet.

Symptomata Epilepſiam concomitantia, ut Reſpiratio difficilis, capitis dolor & vertigo &c. non floccipendenda; ſed cuilibet per propria remedia propriè obviandum.

Cap. II.

De Epilepſiæ indicatione Curatoria, quâ ipſi morbo, ejuſque ſymptomatibus præcipuè urgentibus occurritur.

Intentiones Therapeuticæ. His ceu fundamentis præſuppoſitis cenſuram haud merebimur ſi Curatoriam primo loco aggrediamur. At verò hunc curſum non ſemper directè quin variè deflectendo ad latus conficere licebit;

licebit; quippè interdum accidentia & ſymptomata graviora contingunt, quæ peculiarem & quaſi extraordinariam Medicinæ operam requirunt: quibus nempè immediatè ac interruptâ ſæpè curâ generali attendere oportebit. Super his obſervetur, quod cùm affectus, qui *Epilepſiæ* ſuperveniunt, pro cujuſque ipſorum natura & patientis indole appropriata exigunt remedia; hiſce tamen ſemper admiſceri debent, quæ *ſpiritus animales* nimis *efferos* & *volatiles* figunt, eorumque *exploſiones*, inceptas ſupprimere valent; in quos fines *duo remediorum genera* præcipuè conducent.

Primò quæ *ſpiritus animales* efferari & *explodi* aptos reprimunt, & velut ſuffitu iis ingrato repellunt, inque ordines ſuos redigunt, quòd equidem medicamenta *ſale volatili* & *armoniaco*, aut etiam *ſulphure vitriolato* prædita efficiunt. Quare *Tincturam Caſtorei*, *ſolutiones aſſæ fœtidæ* & *galbani*: etiam *ſpirit. C C.* ac *fuliginis*,

ginis, nec non *ſalem* & *oleum ſuccini*, cum *aquis appropriatis* ſæpiùs cum bono ſucceſſu propinamus: e. g. ℞. *Aq. Flor. Tiliæ, Ceraſor. nigror. aa ℥iiij. Aqu. Epilept. Lang. ℥ij Caſtorei in nodul. ligati & in vitro ſuſpenſi ʒi. Manus Chriſti perlatæ ℥ ß. Mſ. Tincturæ Caſtorei ℈j. ad ʒ ß. ſumatur in convenienti liquore. Aſſæ fœtidæ vel galbani ʒij diſſolvantur in ſpiritu vini ad tincturæ extractionem. doſis ℈j. in aqua Ceraſor. nigror. cochl. j. vel ij.* Hæc & ſimilia intus ſumpta ſæpè levamen inquam adferunt, & malos *hujus morbi ſpiritus* non ſecus ac apud *Tobiam fumus è felle piſcis combuſto dæmonem*, abigere creduntur.

Externa miras nonnunquam etiam hoc in caſu adferunt ſuppetias, quare *naribus* quoque adhibeantur talia, quorum ſcil. effluvia ſpiritus nimis *efferos* & *exilire* paratos reprimant ac in ordines cogant, quin & copulam heterogeneam iis excutiant, & penitus profligent: in hunc uſum itē *aſſa fœtida*,

fœtida, caſtoreum, galbanum, ſyndone rarâ incluſa, & ſic naribus ipſis admota conveniunt: item *plumæ perdicum,* & *vetera coria combuſta,* aut *ſulphur accenſum.* Porrò *Ruta* quoquo modo adhibita, non raro juvat, quam tanquam arcanum, cujuſdam ruſtici experientiâ probatum, commendat *Tertullianus.* Imò etiam ipſe Magnus Sennertus hâc ipsâ herbâ ſæpè feliciter eſt uſus. e. g. ℞. *Succi Rutæ Sylv.* ℥ij. *Aquæ Epilep. Lang.* ℥ß *Caſtor.* ℈ij. *pulv. Rad. Pœoniæ* ℈j. *Mſ.* & naribus illinatur. *Sennert. lib.* 1. *Pract. fol.* 538.

Lingua & *palatum* illinantur *Theriacâ* aut *Confectione Anacardin.* aut *Diacaſt.* in *ſucco Rutæ,* vel *aqua Lavendulæ,* vel *aceto Rutaceo* diſſolut. aut *Caſtoreo* in *aceto* macerato. Vel *ſal* ori indetur & dentibus affricetur, & quidem non tantùm eſculentus, ſed & ex ruta, aut aliis plantis ant-Epilepticis paratus.

Aëtius Tetr.2.Serm.2.Cap.15.

refert collapſos ſtatim excitari, ſi ſanguis ex magno ægri pedis digito vulnerato labiis illinatur. *D. Brunerus Archiater Hallenſis* (ut ferunt) Turturem fœmell. deplumat & umbilico Epilepticæ in paroxyſmo imponit, atque ſic paroxyſmum feliciſſimè abigit. Quam praxim in fœminis & ſi Epilepſia ſit ex conſenſu uteri conſentaneam putat *D. Sennertus quoque lib.* 1 *Prax. part. ij. cap.* 31. *fol.* 478.

His ita uſurpatis, ſi nondum æger excitari potuit, *ſecundò* ea adhibeantur, quæ ſpiritus animales ab *exploſionibus* incundis avocant, aut inhibent; illoſque in opera quædam ipſis aſſueta alliciunt, ac occupatos detinent, in quem finem *frictiones* & *ligaturæ ſubinde reſolvendæ* inſtituantur, ac ſi ad fortiora procedendum erit *Clyſmata* injiciantur, ab initio quidem laxantia, mox *ſtimulantia*, tantem & *fortiora*, cerebro, nerviſque accommodata. Vitanda verò in eorum compoſitione, liquoris

quoris injiciendi magna quantitas.

Locum hîc habet præceptum *D.Thomæ Werzaſchæ lib.de affect. Thoracis fol.*260. traditum, concernens rectum Clyſmatis uſum. *Liquoris* (inquit) *injiciendi, non adeo magna aſſumenda quantitas, ne diſtendendo inteſtina, adeoque diaphragma comprimendo, dyſpnœam* (*quæ ſæpè hunc morbum ſequitur*) *potiùs augeat quàm imminuat.* Farinæ hujus ſunt ſequentes:

℞. Rad. Pœoniæ ℥i.
Angelicæ ℥ß.
Herb Betonicæ, M. ij.
Salviæ, Meliſſ. aa M. j.
Flor. lilii convall. p. j.
Coque ex aqua font. in Colat. ℥x.
Solve electuar. hier.picr. Logad.
(quod in tali caſu præſtantiſſimum ſemper comperimus)
Olei Rutacei aa ℥j.
Salis ʒj.
F. Clyſter.
Vel ℞. Rad. Pœoniæ, Angel. aa ℥i ß.

Agaric. optimi, Viſci qu. aa ℥ ß.
Stercoris pavonis, Succini citrini aa ℨiij.
H. Lavend. Salviæ, Chamomill. Malvæ, Origan. Stæchad. aa ℨij.
Sem. fœnicul. Carui, Aneth. aa ℨj. Coque ex aqua comm.
& ℞. Colaturæ ℥x.
Olei Rutacei ℥iij.
Hyer. Pachy ℥j.
Salis comm. ℨiij Mſ. pro Enem.
Vel ℞. Rad. Viſci querc. ℥j ß.
H. Salviæ, Betonicæ, Meliſſæ, Rutæ, aa Mj.
Florum Pæoniæ P. j.
Colocinth. in nodulo ligat. ℨj.
Coque in aqua font q ſ. in Colat. ℥x.
Solve Electuar. hier. picr. Logad. ℥j ß.
Mellis anthoſat. ℥iij.
Olei Ruth. ℥j.
Salis gemmæ ℨj. F. Clyſter.

Præcellentiores Chymici, Clyſteribus infuſa ex croco metallorum vel Vitro Antimonii admiſcent, hinc *D. Riverius* affirmat quod

quòd in hoc, aliiſque affectibus: præſertim Colicis doloribus miranda præſtent: e.g. ℞. *Croci metallor ℈ij Vini albi veter. ℥iij bulliant parum, colatura ſervetur ad uſum Clyſteris ſequentis*: ℞. *Spec. pro decocto Clyſteris ſupra deſcripti ſine colocynth. coq. In col. ℥x. ſolve infuſum ex croco metallorum factum, electuar. hier. picr. Log. ℥j. Olei Rut. ℥ß. F. Clyſter.*

Nonnulli in *ipſo paroxyſmo* etiam *vomitum* commendant, imò exhibent: quorum tamen praxis non probanda, uti neque eorum, qui affectos, eorum brachia & crura à motu convulſivo penitus cohibentes, vel in hoc vel in iſto ſitu conſtringunt; naribus ſternutatoria inflant, & cardiaca fortiora ori ingerunt; aut cucurbitulas & ſcarificationes ipſis adhibent; aliiſque neſcio quibus adminiſtrationum modis, *caducos* aſperiùs tractant, & paroxyſmi morem interturbant; hujuſmodi inquam praxis etiam ſæpiſſimè perperam inſtituitur, quoniam hoc

modo duplex naturæ moleſtia; alia nimirum à *morbo*, alia non levior ab aſtantibus & miniſtris intentatur.

Non opus erit contra morbos & affectus omnes, quibus *caducus* ſtipari ſolet methodum therapeuticam inſtituere: ita namque huc tota ferè medicinæ praxis tranſcriberetur; quin ad *ſymptomata* ſolùm præcipuè urgentia, à quibus nempè vel *patientis vita* periclitatur; vel *cura principalis* impeditur, reſpiciendum erit: à quibus medicamentis talia ſanentur modò oſtendemus.

Reſpiratio difficilis.

Reſpiratio difficilis, cum *pectoris anguſtia* & *paroxyſmis aſthmaticis*, remediis ſtatim appropriatis & extra methodum generalem preſcribendis tolli debet: ſecus enim ægrotans citò in vitæ diſcrimen adducitur. Cumque hujuſmodi mala, in Epilepticis plurimùm, vel *ſanguinis* in corde ſtangnantis vitio, vel propter *nervos pneumaticos* in functione ſua impeditos oriantur; idcircò medicamentis aut

aut cordiacis aut ant-Epilepticis curantur: nempè *Spir. C.C. Fuliginis, Sanguinis, Cranii,* item *tinctura Caſtorei, antimonii* vel *ſulphuris. Flos ſalis armoniaci, benzoini,* ut & *elixir proprietatis* in his caſibus egregii ſunt uſus; cujuſmodi remedia exhibeantur crebrâ vice cum doſi liquoris cujuſdã ant-Epileptici, & etiam contra affectus prædictos appropriati.

Enemata hîc quoque levamen adferunt: itaque ℞. *Rad. Bryon.* ℥j ß. *Herbæ Parietariæ, Betonicæ, Agrimoniæ, Malvæ, aa Mj. Sem. Lin.* ℥ß. *coque in aquæ fontanæ q.ſ.* ℞. *Colat.* ℥x. *in qua diſſolve mellis anthoſati* ℥ij. *electuar. lenitiv.* ℥j. *hier. picr. Log.* ℥ß. *F. Clyſter. pro neceſſitate reiterandus.* *Clyſter.*

Sopor item & *ſtupor* huic malo nonnunquam ſuperveniunt, qui ſi diu perſeverent, aut ſæpè redeãt calorem nativum opprimunt. *Sopore* itaque *nimio* vel *profundo* & *ſtupore* vehementi *Epileptici* correpti, ſubinde erunt excitandi, *Sopor.*

 quòd

quòd fiet, ſenſus externos objectis fortioribus movendo, ut internos impellant, & in actum provocent. Sic movetur *Auditus* clamore in aures, ſono alto, ſtrepituque facto: *Viſus* ſplendore multo lucis & ignis: *Guſtus* amaris & acutis: *Olfactus* fœtidis: Imprimis verò *tactus* cum ſenſum admodum moveat, ſi cum dolore fiat, in partibus ſenſu exquiſito præditis, ut in cute, pilos vellicando, pungendo, admodum excitat. Sed præſtat hujus intentionis vice alvum *ſuppoſitoriis* ad excretionẽ, gulam digito aut pennâ ad vomitionem ſollicitare. De quibus, cùm ſimul quoque cauſam revellant & derivent, fuſiùs inferius, ubi agemus de præſervatione tractabimus.

Vertigo. *Vertigo*, Epilepſiæ poſt paroxyſmum, capiti ſupervenit: inſuper in membris *ſtupor* & *formicationis ſenſus*, modò huc, modò illuc excurrens adjungi ſolet. Cujuſmodi affectus nunc à *ſpirituum animalium* in ipſo fonte, & nunc ab eorundem

rundem intra nervos tum cordiacos, tum membrorum motui inſervientes, deliquiis procedunt; cumque à *cerebro* & *nervoſo genere materiâ morbificâ* obſeſſis dependent, non facilè curantur. Interim remedia Cephalica, qualia in *vertigine* & *morbis Paralyticis* per ſe excitatis conveniunt, cum ant-Epilepticis admixtis adhiberi poſſunt. Itaque facta imprimis totius proviſione per cathartica idonea (de quibus proximè) cum remediis contra prædictos affectus appropriatis, ad hunc modum procedatur: Circa initium curationis ſanguinis detractio è venis ſedalibus hirudinum ſuctu celebretur, & niſi aliquid obſtet, crebrâ vice poſtea iteretur, dein ex ſequenti pulvere aliquid exhibeatur: ℞. *Pul. rad. Pœoniæ maris* ℥ß. *Coralli rubri pp.* ʒij. *Cranii humani, Uugul. Alcis aa* ʒj. *Mſ. Vel* ℞. *Sacchari optimi in aqu. Cinnamoni ſolut. & ad tabul. cocti* ℥viij. *Olei ſuccini optimi rectif.* ʒß. *ſ.a. fiant tabellæ: ſumantur*

tur à ʒj. ad ʒij. mane & veſperi ſuperbibendo hauſtum aquæ ſequentis deſtillatæ : ℞. *Fol. Betonicæ, Calamint. Lavendulæ, Lilii Convallii, Salviæ, Roriſmarini, aa M. iij. Corticum 6. aurantiorum, quatuor limonum, Pœoniæ maris rad. recent.* ℔j ß. *contuſis & conciſis affunde phlegmatis Vitrioli* ℔ j. *Aquæ Tiliæ* ℔ *v. deſtill. more vulgari. Doſis à* ℥ *iij ad* ℥ *iiij*. Subinde ſequens odoramentum naribus admoveatur. ℞. *Rad. doronici veri, d. t. collect. ireos florent. aa* ℥ *j. Cubebarum, Coriandri pp. Cardamomi aa* ℥ ß. *fœnugræci* ʒj. *Seminum Angelicæ* ʒij *M. f. pulvis nodulo inſuendus*. Eſt ſecretum Circulatorum contra vertiginem.

Hæc de Epilepſiæ Therapeia, quæ Jndicationem Curatoriam ſcil. morbum ipſum & ejus ſymptomata ſpectat.

CAP.

CAP. II.

De indicatione præſervatoria.

Circa *morbi* hujus profylaxin maxima Medici cura & remediorum efficacia requiritur, ut causâ ſublatâ, ceu radice præcisâ vel avulsâ truncus ipſe, rami & fructus omnes emarceſcant. Medicamenta huic indicationi requiſita plures intentiones reſpiciunt; quæ tamen ad duo hæc prçcipua capita reduci poſſunt: ſcil. ut primò materiæ morbificæ ſaburra immediatè in *ſanguine* aut *ſucco nervoſo*, mediatiùs in viſceribus, primiſque viis congeſta exterminetur; dein *ſecundo* ut mala *cerebri* ſpirituumque ejus incolarum dyſcraſia emendetur. Ut autẽ ad ſcopos hoſce eò citiùs, eò feliciùs, pertingamus armamẽtaria ſunt adeunda Medica, & ex triplici eorum fonte: DIÆTA, PHARMACIA & CHIRURGIA commoda præſidia deſummenda. *Indicatio præſervatoria abſolvitur.*

Inter

Diætâ. Inter cætera verò, quia *morbus Comitialis* ſuâ naturâ diuturnus eſt, victus rationem eò laborantibus præſcribendam eſſe ducimus in genere (ſpecialiùs enim de illa agemus inferiùs) non *plenam*, utpotè fomitem morbo ſubminiſtrantem; non etiam *tenuem*, vires proſternentem: cùm ut habet Venerandus *Senex ſect.* 1. *aph.* 4. *Diætæ tenues & accuratæ cùm in morbis diuturnis in totum periculoſæ; tam etiam in acutis : maximè ſi loco & jure non præſcribantur*; ſed *Mediocrem*, quæ eas conſervet & ab ulteriori lapſu vindicet: imò *appropinquantibus paroxyſmis Epilepticis*, à cibo ægros cum eodem 1. *aph.* 11. abſtinere jubemus, aut ſaltem tenuiore victu uti. Semper tamen ex monitu ſępiùs, ſed nunquam ſatis laudandi *Coi* 1. *aph.* 17. *tempori & regioni*, & *ætati* & *conſuetudidi* aliquid eſt concedendum.

CAP.

CAP. IV.

Pharmaciam & ex illa vomitoria primo loco explanat.

PHarmacia, largiſſimum generoſiſſimorum medicaminum promptuarium, varia ex penu ſuo ſubminiſtrat medicamenta, quæ quanquam per ſe rarò, aut nunquam Epilepſiam ſanent; attamen horum beneficio, non modò meatus & poros quoquo modo infarctos & obſtructos reſerare: materiæ excrementitiæ ſaburram in primis viis congeſtam exterminare: fermenta deperdita aut depravata reſtituere; ſed etiam naturam erigere, atque ad hoſtem ſuum aggrediendum incitare valemus. *Pharmacia in qua.*

Priores ſcopos ſatis feliciter attingunt *Emetica*, nec non *diagridiata* & *aloëtica*, quorum miniſterio fit, ut medicamenta, in alios quoſvis uſus deſtinata, certiùs & efficaciùs vires ſuas exerant. Si itaque ventriculus (ut crebrò aſſolet) materiâ morbificâ aggra- *Catharſis.*

H vatus,

vatus, ſarcinam impuram, nauſeâ, aut vomendi nixu ſurſum ejicere molitur; atque patiens talem evacuationem olim ſatis robuſtè & εὐφορία tolerare ſolebat, nihil vetat, modò vires ne ſint nimiùm proſtratæ, *pharmaca emetica* imprimis exhibere, & per plures menſes quadriduo ante plenilunium repetere. Hæc enim non modò coctionis viſcera evacuant, adeoque morbi fomitem primum, & quaſi originalem ſubducunt; verùm inſuper à ſanguine *recrementa* emulgent, adeoque purgamenta ejus potiùs in *ſtomachum* & *inteſtina*, quàm in *caput* ejuſque appendicem ſuggeri faciunt. Porrò ab *emeticis*, in quantum glandulæ *lymphæductuum* exceptrices, cum ſuccuſſione magna vellicantur, *ſucci nervoſi* ſuperfluiditates, ne Cerebrum ejuſque appendicem malè afficiant, in viſcera inferiora exprimuntur. His rationibus moti etiam ipſis infantibus & pueris *vinum ſcilliticum*, *oleo amigdalarum dulcium* recenti com-

commixtum, & non rarò *ſal* quoque *Vitrioli* à ℈ß. ad ℈j. intrepidè exhibemus. Adultioribus & conſtitutione robuſtâ præditis ſequentes medicamentorum formulæ præſcribantur.

℞. *Croci metallor. aut mercurii vitæ gr. iiij ad gr. vj.* *Per vomitum.*

Mercurii dulcis gr. xv. ad ℈j.

Simul terantur in marmore; miſce cum pulpa pomi cocti, aut conſerva Pæoniæ ʒj. *fiat bolus. Vel exhibeatur infuſio croci metallorum; aut Mercurii vitæ in vino Hyſpanico facta ab* ℥ß. *ad* ℥jß. Vel ℞. *Tartari emetici Mynſinht. gr. iiij ad gr. vj. aut ſulphur antimonii Glauberi propinetur.* Qui ſunt conſtitutionis imbecillioris aut tenerioris *vinum ſcilliticum* aut *ſalem Vitrioli ab* ℈j. *ad* ʒß. aut *Gillam Theophraſti aſſummant, quibus in exigua doſi exhibitis, ſerum lactis in magna copia ſuperbibatur, dein ventriculo ad nauſeam repleto, digitô vel pennâ gutturi immiſſis vomitio facillima provocetur,* quæ aliquoties pro lubitu iterari poteſt.

Per ſeceſſum.

Ubi vomitio tamen locum non habet, ſtatim à morbi principio *purgatio* adhibeatur. Quòd enim olim de præparatione humorum ab authoribus paſſim inculcatur, ſupervacaneum, (quod tamen ſalvo alterius cujuſcunque tandem diſſentientis meliori judicio, hîc liberè pronuntio) duco; ſufficit iſtius intentionis vice, ſaltem vel meo judicio, catharticis idoneis ejuſmodi medicamentis, ea ſi permiſceantur, quę nervoſo generi appropriata ſunt, & quæ peculiari vi Epilepſiæ (inter quæ Pœoniæ ſuccus affatim ſumptus alvum quoque ſubducit) reſiſtunt. Talium remediorum chatarticorum cùm variæ ſint ſpecies & adminiſtrationum modi, lubet hîc ſelectiores quaſdam formulas ſubjicere; de quibus tamen juxta *ægrotantis temperamentum, corporis habitum*, & *conſtitutionem* delectus quidam inſtituatur: nam gracili corporis habitu & ſanguine fervidiori præditis, chatartica minùs calida, quæque ſanguinem haud

Remedia indicata in temperamento calidiori.

haud ſupra modum exagitent, propinari debent: è contra phlegmaticis & obeſis, quorum urina tenuis & aquoſa eſt, atque ſanguis hebetiùs circulatur, purgantia aſperiora & particulis calidioribus prędita exhiberi cōvenit. In priori caſu ad hunc modū præſcribatur.

Pilulæ.

℞. *Fol. Sennæ* ℥j.
Rhabarb. ʒ vj.
Dictami Cretic. ʒ iij.
Rad. Pœoniæ maris, Polipodii q. aa ℥ß.
Raſuræ C. C. *Eboris aa* ʒ j.
Flor. Tiliæ ℥ ß.
Salis viſci querc. ℥ij.
Inciſa & contuſa digerantur in matracio cum vini ceraſorum & aqu. florum Pœoniæ aa ℔ j.
per duos dies.
Colatura clara evaporetur leviſſimo balnei calore ad conſiſtentiam mellis, dein adde pulveris foliorum Sennæ, Rhabarb. aa ʒj. *pulveris Marchionis* (qui, omnes pulveres ant-Epilepticos præcellit) ʒ j.
Tartari Cremoris ʒ j ß.
F. Maſſa pillularis. Doſis ʒ ß *ad* ʒj.

 vel

Syrupus. *Vel paretur talis infuſio, quæ evaporetur leni calore ad conſiſtentiam Syrupi, addendo circa finem mannæ colatæ & ſacchari albiſſ. aa*
℥ ij. fiat Syrup.
Doſis j. vel ij. cochliaria, cum vehiculo convenienti.

Tinctura. *Vel ejuſmodi tincturæ ℥ iiij vel ℥ vj. pro doſi exhibeantur addendo Cremoris Tartari ʒ ß.*
& ſi edulcoratione opus ſit adde Syrupi Pæoniæ ʒ iij.

Paſſulatum. *Vel tincturæ præſcriptæ, imponantur uvarum charinthia. mund. ʒ vj. digerantur calidè, donec uvæ intumeſcant, quibus exemptis liquor ad Syrupi conſiſtentiam evaporetur addendo ſacchari & mannæ colatæ aa ℥ j ß.*
dein uvis denuo impoſitis medicamentum in vaſe vitreato probè munito ſervetur. Doſis cochliar j vel ij.

Electuarium. *Vel tincturæ prædictæ, ad medietatem evaporatæ, adde caſſiæ recentis, pulpæ tamarindorum aquâ aliquâ ant-Epilep. extractæ aa ℥ iij.*
Conſervæ flor. Pæon. Tunicæ aa ℥ ij.
pulver. Sennæ compoſit. ʒ j.

Rha-

Rhabarbar. pulv. ℥ ß.
Cremoris tartari, ſpec. diamarg. frigid. aa ʒ ij.
ſimul terantur in mortario marmoreo lapideo, donec redigantur in formam Electuarii. Doſis q. nucis juglandis plus minus juxta operationis ſucceſſum.

Quibus ſtomachus nauſeabundus, pharmaca non niſi in exigua quantitate, ac formâ eleganti admittit. *Bolus.*

℞. *Cremoris Jalappæ* ℈ ß.
Mercurii dulcis ℈ j.
Salis viſci q. gr. xj.
Conſervæ florum borraginis ʒ j.
F. Bolus.

Sequens etiam potiuncula exhiberi poteſt:

℞. *Fol. Sennæ S. St.* ℥ iij.
Cremoris Tartari ʒ j.
Cinnamom. elect. ʒ j. *Potio.*
Aquæ florum Tiliæ calidæ ℥ iij.
Infundantur per noctem; in colatura diſſolve mannæ chalabr. ℥ j.
& clarificetur cum albumine ovi.

Hæc potio rectè præparata pro doſi una, clara eſt, jucunda, faci-

Tinctura Bezoardica Michaëlid. Nec ſuis laudibus eſt privanda Tinctura bezoardica *D. D. Michaëlid.* non etiam tinctura lunæ

cum

cum ſpiritu vini vittiolato facta, vel dialunæ Mynſicht. utpotè in hoc malo vires obtinentes eximias, *modò à prudenti Medico providâ manu diſtribuantur.* Quod ideò dixiſſe volo, ùt ſi quis artis imperitior in medicamenta hæc ſpecifica incideret, ac ſe adjutum illis, miracula paraturum confideret, ſpe falſus, culpam in me non conjiciat; ſed in ſe ipſum totam conferat, ut qui, quum nec à *Deo*, nec à *Natura* huc ſit vocatus, certè veram medicamentorum præparationem haud teneat, regularum item & fundamentorum ſcientiæ Medicæ planè ſit expers, tamen rem tantam, manibus illotis, quod dicitur, ſit aggreſſus. Sed ad rem.

Non verò minerale tantum, ſed & animale regnum ſinu ſuo non modò quamplurima; ſed & uſu probatiſſima ad inſultus Epelepticos graviter ſuprimendos expromit auxilia, talia ſunt:

Cornu Alcis vaporatum, cujus ſal volatile & ſpiritus magni ſunt *Cornu Alcis.*

 æſtimii.

æſtimii. Ungulæ autem ejuſdem parum tribuit Scholzius in *Epiſt.* 60.

Cornu Cervi. *Cornu Cervi* quod à 15. Auguſt. ad 8. Septembris colligitur omnibus ferè palmam præripit, ſive crudum, ſive vaporatum, vel in forma *ſpiritus* ſalis volatilis: nec minores obtinent vires è ſanguine Cervi parata medicamenta.

Mentionem facit cujuſdam Nobilis Hofmannus *lib. de method. Meden. fol.* 285. quem ſcribit jure hæreditariô paternô, avinô & atavinô & proavinô *Cornu quoddam* admodum glabrum & incurvatum inſtar fiſtulę poſſidere, cujus virtutes ant-Epilepticas non ſolùm à ſe; ſed & ab aliis probatas veras atteſtatur; hocque de eo notatu dignum, quod neque augmentum, neque decrementum capeſſat, licet multoties in uſum ceſſerit.

Unicornu foſſile, quod in *ſpecu Bumanniano* in copia reperitur in *Sylva Herciniana*, à vulgo non ſine fructu in Epilepſia exhibetur. Quin

Quin & *pullus equinus* in lucem proditus vomitu materiam rejicit, quam niſi quis præripiat, mater ſtatim devorat. Hæc materia ſiccata & pulverizata à morbo hoc liberat. *Donzelius in conſil. ad Scholtz. edit. lib* 15. *conſ.* 18.

Iecur lupi. Eſus etiam *jecoris lupini* perfectè curat Epilepticos. *P. Borell. cap.* 2. *obſ.* 45. ut & ejuſdem caro in pulverem redacta, juvat hyſtericos Epilepticos. *River. c.* 2. *obſ.* 31.

Stercus Pavonis. Pavonis *ſtercoris pulvis* ad ʒj. luna ſilente deglutitus, præſtans eſt remedium per aliquot menſes, ſemel in menſe ſumptus. *Item c.* 3. *obſ.* 15.

Pinguedo cuniculi. Pinguedo quoque Cuniculi violentâ morte occiſi recens liquata, & g. v. vel vj. in aqua picarum vel hirundinum propinata, certo experimento juvat. Singulare ſecretum habetur in hoc affectu fel catelli nigri lactantis (pro fœmella Epileptica ſubſtitue catellam) ſtrangulati cum liquore conven. exhibitum: nempè totus ſuccus cyſti fellea exemptus, patienti

tienti cum pauxillo aquæ florum Tiliæ propinatur. Hujus beneficio *Ducis Buckengami* filius eſt ſanatus. Porrò ſolent Empirici, pueris majoribus, poſt fel epotum, etiam catelli hepar aſſatum commedendum tradere. In Anglia hoc eſt uſitatiſſimum atteſtante *D. Scklegio.*

Leonis ſtercus. Ejuſdem eſt uſus *ſtercus Leonis* exiccatum & pulverizatum, cujus *ſpiritus* adhuc præſtantior; non omnibus obvius; ſed Principibus viris tantùm ſingularis. *Doſis à g. iij. ad g. v. vel* ℈ ß. in convenienti liquore. Ex hoc *Spiritus ant-Epilepticus Dreſteus* conficitur.

Caſtoreum. Caſtoreum hîc etiam ſuô dignum eſt encomiô, imprimis ſi malum dependeat ab utero.

Reliqua à quibus natura abhorret & quæ minùs uſitata, ſponte omittimus, uti & *ſanguinem* à necato homine calentem adhuc potum. Quamvis enim ex Tertulliani Apologico adverſus gentes pateat, Romæ uſitatum fuiſſe, ut in theatro aut arena jugula-

gulatorum gladiatorum ſanguinem recentem, de jugulo decurrentem & adhuc calentem, contra morbum Comitialem biberent. *Plin. lib.* 8. *nat. Hiſt. cap.* 1. *Cornel. Celſus lib.* 1. *cap.* 34. tamen cùm & ipſa Theatrica ſpectacula, & gladiatorum cædes diaboli ſint inventa, nequaquam approbamus. *Ille* (ut Plinii, loco allegato verbis utar) *everſor humani juris, monſtrorumque artifex, cæde humanâ & ſanguinis humani effuſione delectatus, ex hominum ſanguine & ſacrificia & pharmaca per ſuos Sacerdotes fraudulenter inſtituit, hominibuſque ſuperſtitioſis perſuaſit, ut contra* Epilepſiam *ſanguinem humanum haurirent.*

Præterea (quod notari velim) nullius animalis ſanguis adhuc calens ſine incommodo bibitur: docetque experientia, ſanguinem animalium potiſſimùm adhuc calentem & ſpirituoſum hauſtum, in corpore mutationem efficere. Hoc ipſum confirmat Hiſtoria, quam refert *Zacutus Luſitanus de*

 Prax.

Prax. med. adm. lib. 3. *obſ.* 79 ubi narrat juvenem quendam inimico ſuo, amicitiâ ſimulatâ ad convivium invitato, inter potandum obtruſiſſe poculum vini, cum unciis duabus ſanguinis humani, ex homine rufo, venæ ſectione emiſſi, adjecto etiam ſaccharo. Quod cùm ille incautus exhauſiſſet, poſt triduum delira loqui cepit, & in perpetuùm fatuus remanſit, nec ullo remediorum genere curari potuit. Summa *ut Lucanus*:

- - - - nullus ſemel ore receptus
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fames :

Hæc pauca interfari hoc loco libuit, nunc quia uſitata etiam ex Regno Animali ant-Epileptica deprompſimus: reſtat ut quædam etiam ex Regno vegetabili proferamus, quod præter ſuperiùs enumerata ſpecifica, famoſiſſima quamplurima alia in publicum expromit medicamenta.

Ex radice *Tiliæ*, menſe Februario tranſverſim inciſa, ſuppoſito vaſe vitreo benè tecto collectus liquor,

liquor, dein' rectificatus & purificatus, eſt arcanum contra Epileſiam; ejuſque inſultus ſecretiſſimum; revelatum tamen à *Tilemanno lib. de mater. medic. fol.* 308.

Pœoniæ maris radix flores & ſemen, quacunque ratione uſurpata; mirâ etiam quadam facultate morbi caduci ſeminaria elidunt; hominemque ab ejus inſultibus tutum reddunt. Tinctura florum ejuſdem notæ eſt efficaciæ.

Rutæ Crucigeræ m. j. in vino amphoræ infuſo macerat. & per tres dies mane ſumpt. idem præſtat. *P. Borell. cap.* 1. *obſ.* 18.

Viſcum quercinum cujus pars quò propior eſt querni reſecatae ò nobilior, meritò etiam inter ſpecifica ant-Epileptica refertur. *Corylinum* adhuc præſtantius eſt, cujus proles, *ligni Heraclyni* Oleum à *Clariſſ. Rulando* in hoc affectu tantopere celebratum: nuces enim avellanę à veteribus *Heracleoticæ* & *coryli* lignum, *Heraclynum* vocatum fuit.

Radices itidem *Valerianæ Syl-*

veſtris, cum aliquo liquore ſpecifico ſumptæ, divinum præſtant remedium. *Riverius in Prax. Med. p.m.* 30.

Eoſdem effectus edunt *baccæ herbæ Paridis*, ſeu *uvæ Lupinæ* nro v. vel 9. pulver. & cum aqua florum lilii convallii vel liquore Tiliæ exhibitæ d. t. collect.

Nec excludenda *radix dentariæ*, aquæ ejus crebrior eſt uſûs. *Carduo*, & etiam *millefolio Crato* plurimùm tribuit. *lib.* 1. *Conſ.* 41.

Herba *Lunaria*, *Ros Solis* nomen quoque merentur inter ſpecifica hæc ant-Epileptica.

CAP. IX.

Compoſita ant-Epileptica & ſpecifica enucleat.

Compoſita ant-Epileptica.

Compoſita & Magiſtralia apud Authores extant ferè innumera, cùm nullus ferè ſit, qui non Arcanum quoddam contra Epilepſiam crepet. Lubet tamen hîc ſelectiora quædam apponere, quæ

quæ quidem juxta duplicem cauſæ Epilepticæ indolem, *ſanguinis* nempè *dyacraſin* & *capitis* malam diſpoſitionem, in duas claſſes diſtinguere viſum eſt: & primò quæ in illo priori intentionis malo conveniunt, ubi nimirum medicamentis incitatione quadam præditis, atque ſale volatili plurimùm refertis opus eſt, trademus.

Remedia digeſtiva, quæ ventriculi fermentum reſtituunt, ejuſque ac aliorum viſcerum chyloſi inſervientium, functiones juvant, atque *ant-Epileptica*, ſeu *ſpecifica*, quæ *ſanguinis dyacraſin* tollunt, aut in eadem compoſitione junguntur, aut ſaltem eodem die ſucceſſivè aſſummuntur.

Inter medicamenta digeſtiva meritò recenſentur: *Tartari Cremor, Cryſtalli, Sal, Tinctura: Tartarus Vitriolatus, Elixir proprietatis, Mixtura ſimplex.* Cujuſvis horum bis in die exhibiti uſus ſæpè prodeſt.

Porrò Tincturas & Elixiria Magiſtralia varii generis & dige-

ſtiva & Epilepſiæ appropriata, cum duobus ſequentibus menſtruis facilè conficies:

℞. *Spirit. Vitriol. rectificat.* ℥ *vj.* *Spirit. vini alkoholizati* ℥ *xvj. Mſ. & deſtilla in retorta vitrea cum ternis cohobiis* : & in vitro probè occluſo, ad uſum ſerva. *Elixir proprietatis* cum hoc monſtruo compoſito faciliùs & meliùs quàm vulgari modo paratur.

℞. *Cort. Contrajervæ, lign. aloës, rad galang. minoris aa* ʒ *ij.*
Cinnamom. Chariophill. aa ʒ *j.*
Rad. Pæoniæ in toleolas ſciſſ. & exicc. ℥ *ij.*
Sem. ejuſdem ℥ *iiij.*
Cornu Alcis, Corallii rub aa ʒ *ij.*
Viſci querc. ʒ *j.*
Contuſis affuude prædictum menſtruum ad ſupereminentiam trium digitorum, digerantur in matracio in furno arenæ per 6. dies. Colatura ſervetur in vitro occluſo. Doſis g. 20. plus minus in cochliari vini Canarini vel aqu. appropriatæ. Exhibeatur bis in die.

℞. *Salis tartari cerulei* ℥ *iiij.*
diger.

diger. in matracio cum ſpiritu vini alkoholizat. ℔j. *ad extractionem tincturæ.* Hoc ſit aliud mēſtruum; quod *è gumm. aromat.* &c. eodem modo uti cum priori menſtruo elixiria parabis.

Dum hujuſmodi remedia in doſi perexigua veſperi & primo mane exhibentur, horis medicis ſcil. octava ante & quarta p. m. alius generis medicamenta antEpileptica ſumantur, quę quidem ut plurimùm in duplici *forma* nempè in *ſolida* & *liquida* ſimul capienda præſcribere ſolemus: ita ut *ſolido* præmiſſo liquidum ſuperbibatur: utriuſque variæ extant ſpecies & compoſitionis modi, vid. in *forma ſolida*: *Electuaria, confectiones, pulveres, pilulæ* & *tabellæ*: in liquida ſunt *aquæ deſtillatæ*, quę per ſe vel cum aliis in forma julapii ſumuntur, *decocta*, vel *tincturæ*, ac *infuſiones*. Cujuſque horum generis, medicamenta ſelectiora quædam proponomus. De quibus idem obſervare licet quod ſuperiùs de purgantibus dictum eſt.

ELECTUARIA.

Electuaria. ℞. *Conſervæ flor. lilii convall. Pæoniæ maris, Betonicæ aa ℥ij. Sem. Pæoniæ, Corall. rubr. pp. aa ʒij. pulv. rad. Pæoniæ ʒj ß. Salis viſci quercini ʒij. cum ſufficient. q. Succi Aurant. F. Electuarium. Doſis mane & veſperi nucis moſch. quant.*

Vel ℞. *Conſerv. anthos, flaved. Aurantii, limonii aa ℥ij. nucum jugland. codit. numero* 4. *Ligni aloës, Santali Citrini, rad. Serpentariæ, Contrajervæ, Angelicæ, Imperatoriæ aa ʒj. Salis viſci querc. ʒij. Cum ſ. q. condit. Zinziberis f. Electuarium. Sumatur bis in die quant. n. m.*

Apud *Philippum Murellum lib. v. de Myſt. Med. fol.* 87. commendatur ſequens *Terentii.*

℞. *Sthœcad. Seſel. Pyretr. ſemin. Aquileg. aa ʒij ß. Sem. Pœoniæ mund. ʒ iij. Viſci querc. Agarici elect. aa ʒ ß. Carui, aſſæ fœtidæ, Ariſtoloch. rot.*

Liqui-

Liquiritiæ, Carpobalſam. aa ℥iij.
Conſerv. Majorannæ q.ſ.
Fiat Electuarium.

Celeberrimus autem trium Imperatorum Archiater, Crato Conſil. 420. hoc commendat:

℞. *Succi millefol. Rutæ, Meliſſæ, Majorannæ, Hyſopi ad ſpiſſitudinem cum ſaccharo coĉti aa ℥ß.*
C. C. præparat. ʒv.
Mitridat. ʒj.
Conſervæ flor. Roriſmarin. ℥j ß.
M ſ lento igne. Doſis mane ʒj. & ante ſomnum poſt cœnam moderatam ʒß.

Ruſticis & pauperibus à quibus medicamenta facilè parabilia & minùs ſumptuoſa expetuntur, ad hunc modum conſulatur: ℞. *Herbæ quæ vocatur S. Pauli, herbæ paralytica dictæ, quantitatem q.v. ea incidatur minutim ac miſceatur cum melle, addaturque pulvis chariophilli, pyretri, radicum Pœoniæ q.ſ.* Solo hujus Electuarii uſu Nicolaus Florentinus (ut ipſe de ſe teſtatur) fœminam quandam annorum 40. ab ipſa infantia Epilepticam perfectè curavit.

CON-

CONFECTIONES.

Confectiones.

℞. *Rad. Pœoniæ maris* ℥j.
Semin. ejuſd. ℥ ß.
Viſci querc. Corn. Alces præpar. aa ʒij ß.
Rad. Angelic. Contrajervæ, Serpent. Virginian. aa ʒj.
Succini albiſſ. Corall. calcin. aa ʒ ß.
Salis Viſci comm. ʒij.
Sacchari candi in aqu. ant-Epilept. Lang. q. ſ.
Soluti ℥ viij. *F. ſ. a. Confectio.*
℞. *Pulveris Ari compoſit.* ℥j.
Corticum Citri pulveriz. ℥ ß.
Specier. diamoſchi, Galliæ moſch. aa ʒij.
Salis corallii ʒj ß.
Flaved. aurant. ℥ iij.
ſimul terantur in mortario, dein adde Sacchari albiſſimi in ſ. q. aquæ Ceraſor. ſolut. ℥ iij.
f. l. a. confectio d. q. nucis moſch. bis in die.
Vel ℞. *Diacori* ℥ iij
Specierum diamoſch. Xyloaloës aa ℥ ß.
Cubebarum gr. vij.

gra-

granor. Pœoniæ, Viſci querc. Cranii humani præparat. Stercoris pavonis aa ℥ ß.

Conſervæ Koriſmar. q. ſ.

F. Confectio.

PULVERES.

Si forma pulveris magis arrideat. *Pulveres.*

℞. *Lapidis Bezoardici utriuſque ſuccini albi, margarit. præpar. Coralli rubri aa* ℈j.

Cranii humani ℈ij.

Rad. ſerpentariæ virgineæ, ſem. Rutæ aa ʒ ß.

Mſ. f. pulvis. Capiat. ℈j. *mane & veſperi cum juſculo aut hauſtulo infra præſcripti Julappii.*

Magnis vulgò effertur laudibus pulvis ſequens:

℞. *Cranii humani* ʒj.

Ungulæ aſini, Cinerum hirundinum aa ʒ ß.

Raſuræ eboris ℈j.

Corall. rubri ʒj.

Margarit. præparatar. ʒ ß.

Auri limati ℈j.

ſemin. Pœoniæ ʒ ß.

Diamo-

Diamoſchi (*qui pulvis* Epilepſiæ ſanandæ accommodatus cenſetur) *℈j. f. pulvis, cui ſacchar. addi poteſt*

Huic tamen palmam præripit pulvis Bartholini ant-Epilepticus nobiliſſimus & certiſſimus: cujus effectum non ſemel ſum expertus, quemque ideò hîc candidè propono.

℞ Cranii humani & combuſti, oſſium humanor. combuſtorum aa ℥ ß. pulveris oſſium lacertarum magnarum & viridium ʒij.
Viſci querc. Pœoniæ maris, rad. & ſem. decort. Luna decreſcent collect. aa ʒj. Mercur. pp.
Ungulæ Alcis aa ʒß.
ſacchari albiſſ. ℥iiij.
Pulverizanda pulverizentur ſubtiliſſimè & fiat pulvis. Doſis ʒj. cum aqua deſtillata ex C. C. *recenti cum primo naſcitur, & mixta cum aqua florum tiliæ & lilii convallii dupla quantitate.* Qui volet bibat *cum aqua picarum* vel *hirudinum.*

Crato etiam facit mentionem pulveris cujuſdam contra Epilepſiam

pſiam *Epiſt.* 121. quem Cæſar pro maximo ſecreto habuerat, & quo homines etiam provectæ ætatis, & qui diu huic malo fuerunt obnoxii, poſt purgationem curati fuerunt. Ejus deſcriptio hæc eſt:

℞. Cryſtalli præparati ʒß.
Coralliorum rubror. præparat. ℈ij.
Margarit. præpar. ℈j.
Smaragd. oriental. pp. ʒß.
F. pulvis: cujus dimidia pars, eſt una doſis in aqua Taraxic. Addit que Crato ſe bis feciſſe periculum, ægroſque liberatos fuiſſe ab Epilepſia.

PILULÆ.

Quibus autem medicamentum in doſi minori & forma pilulari magis placet: *Pilulæ.*

℞. Rad. Pœoniæ maris ʒß.
Serpentariæ virginianæ, contrajer. dictami Cretici aa ʒij.
Cranii humani præparat. ʒj ß.
Ungulæ Alcis ʒj.
Corall. rubri præp. pulv. Margarit. aa ʒj.

 Salis

Salis viſci quer. Salis corallii aa ʒij. cum ſ. q. ſyrup. florum Pœoniæ maris fiat maſſa: ex qua formentur pilulæ juſtæ quant. de quibus 4. bis in die ſumantur ſuprabibendo hauſtum Julapii appropriati.

Vel ℞. *Pulv. Rad. Pœoniæ maris* ℥j.
Semin. ejuſdem. ℥ß.
Viſci querc. Unicorn. foſſilis, ſtercoris pavonis aa ʒij.
Rad. Valerianæ, Imperatoriæ, Serpentariæ aa ʒj.
Margarit. Corallor. rubror. lapidis Smaragd. aa ʒß.
Salis Succin. C. C. aa ʒj.
Cum ſ. q. Balſami Capiv. formentur in maſſam pilularem, cujus ſumantur 3. v. 4. pilulæ mane & veſperi.

Vel ℞. *Cranii humani, picarum, hirundinum aa* ℥ij.
Caſtorei, Coaguli leporis, ſem. Pœoniæ, Palmæ Chriſti, ſpecier. diambræ aa ℥j.
Olei Cinnamomi gr. ij.
Macis gr. iiij.
Carui vj.
f. pilulæ cum melle ſcillitico, quibus utetur

utetur paties ſuperbibendo ſtatim aquam picarum juvenum ℥j.

TABELLÆ.

Pro delicatioribus tabellæ perſcribantur ad hunc modum. *Tabellæ.*

℞. *Rad. Dentariæ, Angelicæ, Coralli rubr. præpar. aa* ʒij.
Sacchari in aqua florum Tiliæ ſoluti & ad Tabulatum coƈti ℥vj.
Olei Succini reƈtificati ʒß. *ſ. a.*
F. Tabellæ: ſingulæ pendant circiter ʒß.
una aut altera ſumatur bis vel ter in die, ſuperbibendo doſin liquoris appropriati.

Vel ℞. *Pulveris Marchionis* ʒj ß.
Specierum aromat. chariphill. ʒß.
Ambræ griſeæ gr. iij.
Moſch. gr. j.
Sacchari roſat. tabulat. ℥iiij.
f. ſ. a. Tragea.

Hæc de medicamentis in forma ſolida, ſive ſubſtantia craſſiori Epilepticis exhiberi ſolitis, quorum virtus ut meliùs & cum majori emolumento in maſſam ſanguineam deferatur, iis ut plurimùm

mùm *liquida* ſuperbibenda præſcribuntur; quorum etiam quamvis magna exſtet varietas, & diverſimoda componendi ratio; præcipua tamen & uſitatiſſima ſunt qualium & cujuſmodi ſingulorum proximè formulæ ſubjungentur.

DECOCTUM.

Decoctum. ℞. *Rad. Pæoniæ maris, Angel. Imperat. Valerianæ aa ℥vj.*
fol. Betonicæ, Salv. Pulegii aa m. j.
flor. lilii Convall. p. ij.
Sem. Rutæ, Nigellæ aa ʒiij.
Pæoniæ ℥ ß.
Paſſul. ℥iij.
Liquirit. ℥ ß.
Inciſa & contuſa coquantur in aqua fontana ℔ vj.
ad tertiæ partis conſumptionem. Circa finem adde vini Ceraſorum nigrorum ℔ ß. vel ℥x. f. colatura quæ ſervetur in vaſis occluſis. Doſis ℥ vj. ad ℥ viij. bis in die.

Vel prædicta ingredientia exceptis *liquiritia* & *paſſulis* coquantur *in hydromelitis* ℔ *vj. ad* con-

conſumptionem tertiæ partis. Doſis ℥ iiij ad ℥ vj.

Pauperioribus per ingredientia faciliùs parabilia ad hunc modum præſcribatur: ℞. *Herbæ & florum millefolii* ℔ ß. *coque in aqua* ℔ *iij. igne lento, donec aquæ ferè dimidia pars conſummatur. Colatæ expreſſioni adde ſucci Rutæ, mellis deſpumati aa* ℥ j ß. *Iterum parum coque & coletur. Doſis poſt purgationem ſingulis diebus* ℥ j. *Eſt experimentum D. Tabernæmi ſæpiùs probatum.*

INFUSIONES.

Infuſio, decocto ſuperaddita, medicamentum utiliſſimum præſtat. *Infuſio.*

℞. *itaque Rad. Angelicæ, Valerianæ aa* ℥ j.
folior. Polii montani, Viſci. querc. aa m. ß.
C. C. uſti ℥ ß.
Paſſularum ℥ ij.
coquantur in aqua fontana ℔ *iij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſub finem adde vini Ceraſorum nigrorum*

grorum ℔ ß. *& ſtatim coletur in vas vitreum, cui imponantur folior. Rutæ Sylveſt. Millefolii contuſ. aa m. ß. Corticum Citri condit. & minutim inciſ. ℥ ß. F. Infuſio clauſa & calida per 6. horas. Colatura ſervetur in vaſis occluſis. Doſis ℥ vj bis in die poſt aliquod medicamentum ſolidum.*

Infuſiones item per ſe factæ nonnunquam egregii ſunt uſûs.

℞. *Fol. Viſci quercini* ʒ ij.
Rad. Pæoniæ inciſ. ℥ ß.
Caſtorei ʒ j.

ponantur in vaſe clauſo cum aquæ florum Tiliæ vel Pæoniæ & vini
Ceraſorum nigr. aa ℔ j.
adde ſalis Viſci querc. ʒ ij.
digerantur calore arenæ per duos dies. Capiat æger ʒ iij. *cum doſi pulveris alicujus ſuperiùs præſcripti.*

SUCCI & EXPRESSIONES.

Succi & expreſſiones.

Commendatiſſimus herbarum ant-Epilepticarum uſus eſt, ut illarum ſucci & expreſſiones per ſe; aut cum aliis liquoribus appropriatis

priatis, bis aut ter in die aſſumantur; ſic enim remedii virtus integra ac illibata exhiberi præſumitur. Itaque

℞. *Succorum millefol. Rutæ, Sedi majoris; Cardui benedict. aa* ℥ *ij.*
Salviæ, Calendulæ aa ℥ *j.*
Sacchari ℥ *iiij.*
Decoquantur ad conſiſtentiam Syrupi; de quo ſummantur cochl. j. vel ij. frequenter.

Succus Alchimillæ tribus diebus propinatus ab ℥ *ij. ad* ℥ *iij. ſingulare eſt experimentum Mathioli & Tabernæmi in mali principio.*

Oximel ſcilliticum item *Syrupus è ſucco foliorum viridium herb. Nicotianæ & melle paratus*, nec non *hydromel cum fol. Hyſopi incoct. ab antiquis plurimùm laudantur.* De *Syrupo Nicotianæ* teſtatur & refert *Zacutus Luzitanus lib. Prax. Med.* 10. *obſ.* 20. ſe quamplurimos notaſſe, etiam jam natu grandes, quibus plurima auxilia, tam occultâ quàm manifeſtâ qualitate agentia adhibita nihil profuerunt, hoc unico Syrupo ſanatos

fuiſſe *aſſumpto ab ℥ iij. ad ℥ iiij. tribus horis poſt cænam per* 40.*dies*.

LIQUORES.

Liquores.

Julapia, aquæ deſtillatæ aliique liquores appropriati juxta præſcripta ſequentia parari poſſunt.

℞. *Vitrioli commun.* ℔ *vj.*
Rad. Pœoniæ maris ℥ *vj.*
Viſci quercini ℥ *j.*
Juglandium viridium ℥ *viij.*
Inciſa & contuſa; deſtill. in Olla Vitreata, alembico vitreo ſuperimpoſito, in calore arenæ.

℞. *Hujus Liquoris* ℔ *j.*
aquæ Ceraſorum nigrorum, florum Tiliæ aa ℔ ß.
Sacchari albiſſimi ℥ *iiij. Mſ.*
F. Julapium.

Doſis ℥ *iiij. ad* ℥ *vj. bis vel ter in die.*

Aquarum deſtillatarum quanquam celebres exſtent præſcriptiones à *Platero*, Langio *lib.* 3. *Epiſt. c.* 2. Conrado Geſnero *in Enonym.* Arnoldo de Villa nova *Briv. lib.* 1. *c.* 2. Andernato *de veteri & nova Medicina.* Unzero

p. m.

p.m.p. 222. ab aliiſque authoribus traditæ; lubet tamen hîc formam unam, atque alteram, practicis uſitatas ſubjungere.

℞. *Vitrioli noſtrat.*
Cranii humani recentis pulverizat. ℥ iiij.
Rad. Pæoniæ maris inciſ. ℥ vj.
ſimul contuſis in mortario aſſunde vini Hiſpanici vel albi tenuioris; aut vini è ſucco ceraſorum nigror. in dolio fermentati ℔ ij. *deſtillentur in retorta vitrea calore arenæ.*

Vel ℞. *Raſuræ buxi, Vitriol. noſtrat. aa* ℔ ij.
fol. Viſci querc. vel comm. m. iij.
fol. Rutæ m. ij.
Simul contuſis aſſunde aquæ ant-Epilept. Lang. ℔ iiij. *Mſ. & deſtillentur in retorta vitrea calore arenæ.*

Vel ℞. *Rad. Pæoniæ maris, circa feſtum Barthol. Luna decreſcente collect.* ℔ ß.
Viſci de Tilia ℥ v.
folior. Rutæ ℥ vj.
flor. Tiliæ ℥ ij.
ſem. Pæoniæ ℥ ß.

Spir. vini rectificat. ℔ v.
Infunde per 14. *dies; poſtea ſepara per inclinationem, & plantis benè contuſis denuò affunde. Deſtillentur igne moderato pro uſu.*

Vel ℞. *Florum lilii convall. Pœoniæ maris, Borrag. Lavendulæ, Tiliæ aa m. ij.*
Vini albi optimi ℔ *iij.*
putrefiant in vaſe clauſo per 14. *dies, deſtilla per balneum ad ſiccitatem; adde radicum Pœoniæ maris, Ariſtolochiæ rot. aa* ℥ j ß.
Diptam. Cretici, Angelicæ aa ʒ vj.
Cranii humani Phyloſoph. pp. ℥ j.
Caſtorei ʒ j.
Stercoris pavonis ℥ j.
Squillæ præparat. Anacardior. aa ʒ vj.
Secundinæ maſcul. exicc. ℥ j.
Cinnamomi optimi ʒ vj.
Digerantur per 14. *dies iterum, & tandem deſtillentur ſ. a. Doſis ad ſummum* ℥ j.

Hæc ſunt præſervativa, quæ contra Caducum, tam pro divitibus, quàm pro pauperibus, adeoque diverſarum qualitatum ho-

minibus

minibus proponere voluimus. Quòd ſi quis tamen commoditate præparationis deſtituitur, vel omninò compoſitionibus his uti noluerit, nec iiſdem delectatur, ille ſimplicibus ſit contentus: non enim Creator noſter voluit, ut ſanitas hominis neceſſariò dependeat à conſiliis, Receptis & compoſitionibus Medicorū, quin undique hominem, ſive propè, ſive longè abſit à Medicis & Pharmacopœis, gratiâ ſuâ circumdat, dum infinitum numerum excellentium ſimplicium, tam in propriis noſtris hortis; quàm in campis, pratis, rupibus ac montibus exhibet contra omnis generis morbos; ac proin' etiam contra Epilepſiam. Talia ſimplicia medicaméta uſitatiora ſuperiùs enumeravimus, è quibus præſcripta pro pauperibus, utpote facilè & ſine magno pretio parabilia deſumi poſſunt.

CAP.

CAP. X.

De Indicatione vitali, quâ includuntur medicamenta cardiaca, & diæta ſive victûs ratio, in Epilepſia *requiſita.*

Indicatio vitalis.

HActenus Indicationes tum Curatorias, tum præſervatorias, quæ Epilepſiæ therapeiam ſpectant explicavimus; reſtat adhuc dicendum de Indicatione vitali, nimirum ut declaretur, quâ methodo & quibus remediis ægrotantium vires aut nimis ad fatiſcendum aptæ ſuſtineantur; aut labefactæ vel proſtratæ reſtaurentur: Cerebrumque à malefica cauſa nimis debilitatum, priſtinum robur acquirat; ne propter ejus debilitatem materea heterogenea & *exploſiva* rurſus in eo cummuletur. Propter hos fines *medicamenta roborantia* tum *interna* tum *externa*, ex medicamentis *cardiacis* & *cephalicis*, juxta decumbentium exigentias adhibeantur

hibeantur ac inſuper *recta victus ratio* præſcribatur.

Quoad *medicamenta interna*, quæ ſcil. ſanguinem in corde ſtagnantem exagitant, flammam ejus ſemiobrutam reſuſcitant: ſpiritus animales oppreſſos, vel diſtractos, libertati ac debitæ irradiationi reſtituunt, obvium eſt, plura remedia, quæ propriè ant-Epileptica dicuntur, has intentiones perficere, cujuſmodi nimirum ſuperiùs ſatis fusè enumeravimus, quibus ſingulis aut inter ſe compoſitis adjiciantur: *Confectio alkermes, Confectio de hyacintho, pulvere margaritar.* aut *magiſt. Corallior. Syrup. Caryophill.* vel è *Coralliis, è corticibus citri è Cinnamomo.* Ex illis, aliiſvè hujuſmodi farinæ, medicamentorum formulæ diverſimodæ, præſcribi poſſunt. e. g.

℞. *Aquæ flor. Pœoniæ maris, Ceraſorum nigrorum juglandium aa* ℥ *iij.*
aquæ Vitrioli ſuperiùs deſcriptæ, d. poſt. ℥ *ij.*

 Tin-

Tincturæ Caſtorei ℨ *iij.*
Syrupi è Coralliis ℥ *ij Mſ.*
Doſis ℥ *j.*

Vel ℞. *Aquæ jugland. Ceraſorum nigror. aa* ℔ß.
Limacum ℥ *iiij.*
pulveris Margarit. ℈ *j.*
Confect. de Hyacint. ℨ*j ß.*
Syrupi Cinnam. ℥ *ij. Mſ.*
eadem doſis.

Vel ℞. *Aqu. Epilept. Lang* ℥ *ij.*
florum Tiliæ, Ceraſorum nigror. aa ℥ *iij.*
Confectionis Alkermes ℨ *j.*
Magiſter. Corall. ℈ *j.*
Syrupi florum Tunicæ ℥ *ij. Mſ.*
F. Julapium.

Quibus remedia cardiaca in forma ſolida potiùs expetuntur: Electuaria vel Tabellæ præſcribantur.

℞. *Carn. nucis Indicæ condit.* ℥ ß.
Conſerv. Roſarum Vitriol. ℥ *j.*
flor. Tunicæ ℨ *vj.*
Confect. Alkermes ℨ*j.*
Robb. Ribium ℨ *v.*
Syrup granat. q. ſ.
F. Conditum, additis aliquot gr. Moſchi,

Moſchi, fol. auri obducendum.

Vel ℞. *Cinnamomi* ℥ *vj.*

Zinzib. alb. ℥ *v.*

Caryophill. n. m. aa ℥ ß.

Cubeb. Cardamom. galang aa ℈ *ij*. ß.

Cort. Citr. cond. minutim inciſ. ℥ ß.

Sacchari albi in aqu. Cinnam. diſſolut. ℔ *j*. ß.

F. ſ. a. Morſelli.

Quoad medicamenta externa ſpectat; de iis, ubi ageremus de indicatione pręſervatoria ſatis ſuperquę diximus, ex quibus illa, quæ magis conveniunt uſurpentur.

Diætæ legibus ut ſeſe ſubjiciant Epileptici, ſalus eorum efflagitat. Hanc enim ſi negligere ac malè ſano appetitui, in peſſima quævis proclivi indulgentes, quibuſvis cibis ac potulentis indiſcriminatim victitare velint, morbum hunc, in principio alioquin faciliori negotio cedentem, in longum non modò pruducent tempus; ſed & prorſus inſanabilem reddent. Quare eos, qui malo hoc

laborantes Medicè vivere recuſant, ac inſuper in aſſummendis remediis difficiles ac moroſi exiſtunt (unde Medici operam ut ut ſedulò adhibitam ſæpiſſimè eludunt) præſtat malis ſuis geniis relinquere, quàm medicamenta utilia, hîc omninò in caſſum præſcripta, diffamare.

Regimen autem hoc diæteticum, licet ad varia extendatur; præcipuè tamen, circa *aërem & habitaculi ſitum, cibum* ac potum, atque corporis motum vel quietem verſatur.

Quoad priùs, Aër eligatur natura ſerenus, tenuis ac purus & ſatis eventilatus: ſpiritus atque mentem colluſtrans, calorem exſuſcitãs, humores extenuans, corpuſque ad omnes functiones alacriùs reddens: habitatio in ſuperiori parte ædium verſus orientem ſine fœtore. Paretur talis arte ignibus accenſis ex ligno cupreſſi, Juniperi, Roriſmarini &c. Suffumigiis ex rebus aromaticis: Maſtich. Succin. Benz. Thure

Mirrha,

Mirrha, Moſcho & Ambra. Fugiatur omnis frigidus, craſſus obſcurus, caliginoſus; multaque exhalatione humectans, ut in cellis, fornicibus, cemeteriis.

Quantum verò ad ſecundum, cujuſmodi ſcil. reſpectu eſculentorum, cibi Epilepſiam pariunt, ac proin' vitari debet, ex ſuperiùs dictis abunde conſtat. Qui hunc morbum aut cávere, aut curare ſtudent: Cibos tantùm boni ſucci & facilis concoctionis, qui etiam tenues & ac benè olentes, proindeque proprietate quandam peculiari Epilepſiæ oppoſiti fuerint, eligere ſatagant. Nomine hoc ſe commendât, ex avibus montanis, imprimis *turdi*, ut potè pauci excrementii ſucci. Columbæ ſylveſtres; exque domeſticis *capones* & *galinæ*.

Nonnulli in Epilepſia valdè commendat uſum carnis hirundinum & vulturis; quorum primarius *Zacutus Luzitanus*. Illuſtriorem reddidit hanc ſententiam eamque, ſuum calculum adjicien-

do, confirmavit Medicorum ſui ſeculi facilè Galenus Magnus *Sennertus lib. Prax. Med. part. ij. cap.* 31.

In potu *Epileptici* ſibi temperabunt à vinis generoſis; aut ſi vel ventriculi vel virium ratione concedendum: ſit paucum ac tenue, medicatum Roriſmarino, Ruta, Pœonia, aliiſque herbis & radicibus ant-Epilepticis. Ex Cerevilia ſibi eligant benè coctam ac defœcatam, cui ex monitu cujuſdam non infimæ notæ Medici rad. & ſemẽ Pœoniæ incoxerint, utpote in corrigenda diſpoſitione Epileptica nunquam ſatis laudandæ virtutis.

Exercitia & labores moderati, pro Epilepſia ſananda; aut ſaltem ad ejus inſultus frequentiores præcavendos, ſunt inſignis commodi. Etenim otioſis & vitam ſedentariam agentibus, *ſanguis* & *liquor* nervoſus, tanquam aquæ ſtagnantes, quaſi lentorem & ſitum contrahunt; à moderato verò corporis motu & labore *humo-*

res

res & *ſpiritus* inclareſcunt & vigorantur, particulæ excrementitiæ & heterogeneæ evaporant; viſcerum infarctiones expediuntur eorumque tonus corroboratur.

Ita ergò tandem Epilepſiæ doctrinam ſeu methodum, qualem qualem tenuitas noſtra adornare potuit, abſolvimus. Colophonidem tractatulo addendo. Deum Ter Opt. Max. ſupplex precor, ut medicamentis, quæ quidem hîc ſincerè & candidè propoſuimus, ad uſum afflictorum exoptatum; benedicere; meque ab invidorum virulentis morſibus, ad quos ipſe ſolus antidota novit, munire & cuſtodire dignetur. Cæterùm Candide Lector te rogo, ut hunc qualemcunque laborem, æqui bonique conſulere: & ſi errorem aliquem in hoc deprehendas, velim ut illum benigno animo, ſincerè æquè ac tibimet velles, meo ſi ſederes loco, judicare ac interpretari digneris, nec ut mihi dedecori aut probro ducas; ante

oculos

oculos habens quoſcunque homines, cujuſcunque denique Profeſſionis, Scientiæ, Artis aut Opificii, etiam doctiſſimos, perſpicaciſſimos, ac circumſpectiſſimos, obnoxios eſſe alicui defectui; haud ſecus ac reliquum omne mortale genus; & conſequenter ſubjectos eſſe errori, ſive is magnus ſit, ſive exiguus; nemo enim ab eo immunis aut liber eſt. Hoc fretus, Candide Lector, ſperando inſuper, meliorem aliquando mihi opportunitatem eventuram tibi gratificandi, opere aliquo majoris momenti, præſentem hunc Tractatulum finio.

Pſalm. 115. verſ. 1.

Non nobis, Jehova, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam propter benignitatem tuam, propter veritatem tuam.

FINIS.

INDEX

Rerum præcipuarum.

CAP. I. Epilepſiæ notatio, nomenclatura, ejus deſcriptio, ejuſque cauſa interna, & proxima potiſſimùm in ſanguine, dein in capite radicata. Pag. 5
Epilepſiæ deſcriptio, ſeu morbi hiſtoria inſtituitur. p. 7
Præcipuorum ſymptomatum cenſus explanatur. p. 8
Spiritus animales, intra Cerebri medullium conſitos, eſſe primarium Epilepſiæ ſubjectum ſive ſedem. 10
Objectiones contra noſtram hypotheſin proponuntur & ſolvuntur. 11
Epilepſiæ, quæ per conſenſum excitari dicitur ratio. 12
Paroxyſmus Epilepticus, à ſpirituum animalium, Cerebri incolarum ſubitâ exploſione concitatur. 14
Præliminaria ſymptomata, extra cerebrum obſervata, cauſæ evidentis, vel ſigni rationem habent. 15
In cauſas Epilepſiæ remotiores inquiritur. 16
Cauſa Epilepſiæ vel in ſanguine, vel in cerebro, aut ſimul in utriſque continetur. 17. 20
Sanguinis & vini dyſcraſiæ comparantur. ibid.
Uti vinum, ita ſanguis ob duas cauſas ægrotare ſolet. ibid.
Scil. propter aliquid extraneum, & non ritè miſcibile, huic aut iſti confuſum, vel quoniam liquoris craſis pervertitur. 18
Vinum & ſanguis à rectâ temperie deſciſcunt; cùm maturitatem non attingunt, unde vinum in vappam degenerat, ſanguis crudus fit. ibid.
Quo ritu ſanguis, à liene aut utero vitioſus Epilepſiam inducat. 19

De

De variis occaſionibus, & procatarxees modis, à quibus Epilepſia originem ſuam ducere videtur. 16. 21. 22. 23. 24

Particulæ exploſivæ intra cerebrum admiſſæ, nonnunquam ſine magna noxa inde exterminantur. 25

Interdum ibidem parumper agitatæ; vertiginem & Scotomiam inducunt. ibid.

Non rarò in Cerebro particulæ iſtæ exploſivæ, longam moram trahentes, in ſyſtema nervorum, ſi ſpiritus ſint ſatis vegeti, detruſæ; ſpaſmos particulares inferunt. 26

Spiritibus eædem affixæ, Epilepſiam producunt. ibid.

CAP. II. De Epilepſiæ cauſis remotioribus à quibus nimirum maſſæ ſanguineæ & per conſequens Cerebro labes infigitur. 26

Aliorum ſententia de origine Epilepſiæ recenſentur. 27

A vellicatione duræ vel piæ matris, Epilepſia non oritur. 27. 28

Nec ab irritatione Cerebri. 31

Objectio proponitur; eaque ſolvitur. 32

Epileptici inſultus, non etiam fiunt ab inanitione aut repletione. 34

Quare nonnunquam hypercatharſin, Epilepſia vel alia aliqua convulſionis ſpecies conſequatur? 37

Quomodo Epilepſia hæreditaria contrahitur. 39

Quare pueri præ adultis Epilepſiæ obnoxii. 40

Quomodo viſcerum & primarum viarum culpa contrahitur Epilepſia. ibid.

Aër quam ob cauſam Epilepſiam pariat. 41

Quales cibi Epilepſiam pariant. 42

Quâ ratione nonnunquam exercitiis immoderatis ac diuturnis Epilepſia ſupervenit. 43

Quare triſtitia & ſtudia immodica Epilepſiam inducunt.

ducunt. 44
CAP. III. De Epilepſiæ differentiis. 47
Epilepſiæ diſtinctio juxta duplicem cauſæ regionem ſcil. quòd in ſanguine vel in Cerebro potiores radices egerit. 47
*Secundum ſanguinis affecti labem, quæ billioſa vel ſanguinea (*prout vulgò loquuntur*) vel pituitoſa, unde Epilepſia iiſdem vulgò nominibus inſignibatur.* ibid.
Quoad morbi originem, quatenus aut ſine aliqua procatarxi, aut per internam procatarxin oritur. ibid.
Iuxta morbi ſtatum in quantum idyopatica vel ſympatica: hæreditaria vel acquiſita fuerit. 48
Quoad ejus morbi efficaciam; quatenus Epilepſia cum vel ſine caſu fit. ibid.
CAP. IV. De Epilepſiæ ſignis, ſymptomatibus, quorundamque eorum rationibus.
Signa & ſymptomata, eorum variæ diſtinctiones. 49. 50. 51. 52
Symptomata una cum illorum fiendi modis, & rationibus recenſentur. 53
Cur Epileptici cum impetu cadunt. ibid.
Vnde in ipſis cordis tremor, ejuſque palpitatio. 54
Vnde ſpuma oris in Epilepticis contingit. 55
Quare nonnulli, in Caduco pectora contundunt. 56
Quare Epileptici ut plurimùm vertiginoſi fiunt. 57
Vnde in iis ſomnolentia. ibid.
Quare Epileptici nonnulli vigiliis torquentur. 58
CAP. V. Epilepſiæ Prognoſtica.
Morbi prognoſis à Medico expectatur. 60
Epilepſia, tum quia Cerebrum inficitur, tum quia ſingulis paroxyſmis plurimùm debilitatur, curationis difficilis exiſtit. ibid.
Circa pubertatem morbus aliquando ſua ſponte ſolvitur

vitur, in quantum eo tempore duplex corpori alteratio contingit. 61
Nonnunquam remediorum ope ſanatur, vel ſi non: in alium morbum, Paralyſin ſcil. vel Melancholiam aut Maniam, vel in mortem commutatur. 62
Quomodo Epilepſia mortem pariat 63
Quam ob cauſam Epilepſia in Melancholiam aut Maniam, vel etiam in Paralyſim deſinit. 64

INDEX

LIBRI SECUNDI.

CAP. I. De methodo ſecundum indicationes triplices propoſita. 69
Curatoria quid facere jubet. ibid.
Præſervatoria quid indicat. ibid.
Vitalis quæ præcipit. ibid.
CAP. II. De Epilepſiæ indicatione Curatoria, quâ ipſi morbo, ejuſque ſymptomatibus præcipuè urgentibus occurritur.
Quid Medico faciendum dum graviora urgent ſymptomata in Epilepſia. 71
Qualia medicamenta in ipſo paroxyſmo exhibenda. ibid.
Arcanum Tertulliani in excitandis Epilepſiâ correptis. 73
Danielis Sennerti hoc in caſu praxis. ibid.
Turturis deplumatæ & umbilico applicatæ plumæ, collapſos excitant. 74
Clyſter nonnunquam in ipſo paroxyſmo injiciendus. ibid.
Clyſter. 75
Chymici Clyſteribus infuſa ex croco metallorum vel Vitro

Vitro Antimonii, quomodo & quando admiſcent. 76. 77
Epileptici in ipſo paroxyſmo, non debent in hoc vel iſto ſitu detineri; naribus ſternutatoria; ori cardiaca fortiora ingeri. ibid.
De curatione difficilis reſpirationis, Epilepſiæ ſupervenientis. 78
De ſopore & ſtupore, vertigine aliiſque affectibus Epileptico inſultui ſupervenire ſolitis. 79 80. 81
CAP. III. De Indicatione præſervatoria.
Quibus abſolvitur indicationibus cura Epilepſiæ prophylactica. 83
Qualis debetur diæta Epilepticis. 84
CAP. IV. Pharmaciam & ex illa vomitoria primo loco explanat.
Quid medicamenta Pharmaceutica in Epilepſia ſananda præſtent. 85
In quibus conveniat vomitum excitare. 86
Utilitas medicamentorum Emeticorum. 87
- - - Eadem *adminiſtrandi ratio.* *Ibid.*
Quid faciendum ubi vomitio locum non habet. 88
Purgantia juxta ægrotantis temperamentum, corporis habitum & conſtitutionem exhibenda. *Ibid.*
Purgantia in temperamento calidiori. 89
Pilulæ. *Ibid.*
Syrupus. 90
Tinctura. *Ibid.*
Paſſulatum. *Ibid.*
Electuarium. *Ibid.*
Bolus. 91
Potio. *Ibid.*
Purgantia in temperamento frigidiori. 93
Pilulæ. *Ibid.*
Infuſio. 94
Tabella. *Ibid.*

Theodoretum Æginetæ. Ibid.
Infantium & puerorum Epilepſiâ laborantium purgatio. 96
Confectio. Ibid.
Pulvis. 97
Pilulæ. Ibid.
Tabellæ. 98

CAP. V. De Diureticis.

Quare nonnunquam in Epilepſia, ut & in aliis morbis diureticis utimur. 99
Alphonſus Ferrius ſolo ſimplici Guajaci decocto Epilepticos ſanavit. Ibid.
Decoctum Ligni quercini Quercetani. 100
Chymici quibus medicamentis ſolent præcipuè ſudores movere. 101
Sternutatoria, atque Apophlegmatizonta, poſt univerſales corporis evacuationes, in Epilepſia juvant. Idid.

CAP. VI. De uſitatioribus medicamentorum externorum formulis,

Epithema. 103
Frontale. 104
Cucupha. Ibid.
Suffimentum. Ibid.
Caſſuleta. 105
Pomum odoriferum. Ibid.
Balſamus odoriferus. Ibid.
Quid de Amuletis ſentiendum. 106

CAP. VII. Chirurgica generalia præſidia proponit.

Quibus & quando eſt incidenda vena. 107
Quid ſtatuendum de delectu venarum. Ibid.
Utilitas venæ ſectionis. 108
Hirudines cui parti corporis applicandæ in Epilepſia. Ibid.

Qui-

Quomodo Florentiæ Infantum Epilepſiam curant. 109
Cauterium in Epilepticis excitare juvat. Ibid.
Qua in parte corporis Cauterium eſt excitandum in Epilepſia. Ibid.

CAP. VIII. Specialia ſeu ant-Epileptica explanat.

Specificorum in Epilepſia virtus in quibus conſiſtat. 110
Quæ ſunt ſpecifica in Epilepſia. 111
Quid de medicamentis vulgariter præparatis ſentiendum. 112. 113
Riverius puerulos à paroxyſmo Epileptico quomodo liberat. 115
Quare nonnulli etiam præſtantiſsimis medicamentis morbos quamvis leviſsimos curare non poſſunt. 117
Cornu mirabile in Epilepſia ſananda certiſsimi uſûs. 118
Ducis Buckengami filium Epilepſiâ laborantem fel catelli nigri ſanat. 120
Sanguis humanus adhuc calens, ad Epilepſiam ſanandam malè uſurpatur. 121

CAP. IX. Compoſita Epileptica & ſpecifica enucleat.

Menſtrua pro tincturis. 126. 127
Electuaria. 128
Philippi Murelli. Ibid.
Cratonis. Ibid.
Pro Pauperibus. Ibid.
Confectiones. 130
Pulveres. Ibid.
Pulvis Bartholini ant-Epilepticus certiſsimus. 132
Pilulæ. 133. 134
Tabellæ. 135

Decocta.

Decocta. 136
Infuſiones. 137
Succi & expreſsiones. 138
Liquores. 140
Benignitas Dei erga homines. 143
CAP. X. De Indicatione vitali quâ includuntur medicamenta cardiaca, & diæta in Epilepſia requiſita. 144
Cardiacorum formulæ. 145.146
Regimen diæticum. 147. 149. 149
Epilepticos in diæta ſæpè & ſtudiò peccantes ſatiùs eſt non curare. *Ibid.*

EMENDANDA.

Pag. 2. lin. 14. *lege*: dubitabat.
Pag. 11. *in margine* lege: *ſolutio.*
Pag. 25. lin. 2. *lege*: producit.
Pag. 29. poſt vocem: *cujus* lin. 27.
Pag. 29. *lin.* 27. Poſt vocem *cujus* adde: præcipuè.
Pag. 31. lin. 27. lege: Henricus.
Pag. 35. lin. 21. *lege*: accedit.
Pag. 38. lin. 21. lege: explanemus.
Pag. 48. lin. 6. *lege*: *internam.*
Ibid. lin. 17. lege: *debilem.*
Pag. 43. *lin.* 25. lege: *Henricus.*
Pag. 83. *lin.* 2. *lege*: prophylaxin.

Reliquæ operarum menda, præter iſtas in tranſcurſu obſervatas (quis enim bonæ mentis ægrè ferat erratum circa apices literarum?) *benignioribus rerum Æſtimatoribus commendantur.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google